DE

PARTICIPIORUM USU THUCYDIDEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JOHANNES BALKENHOLL,
PRESBYTER DIOECESIS HILDESIENSIS.

GOTTINGAE,
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA.
MDCCCLXXXII.

De participiorum usu Thucydideo.

Quamvis multa a doctissimis hominibus accurate et subtiliter de Thucydidis opere conscripta sint, nemo tamen, qui praecipuos hujus scriptoris commentarios inter se comparaverit, permulta superesse negabit, quae accuratae considerationis iterum atque iterum indigeant, quum in permultis locis interpretandis homines docti summopere dissentiant. Ut autem scriptoris alicujus opera recte possimus interpretari atque quovis loco quid senserit judicare, primum arte critica prudenter facienda ex libris manuscriptis ea ipsa, quae libri auctor ccripsit, eruenda sunt. Considerato deinde, cujus ille gentis, quo fuerit tempore, quam denique vitae conditionem habuerit, in eo opera diligenter collocanda est, ut, quae in scribendo maxime ejus sint propria, intelligamus. Quod ut fiat, et generalia linguae praecepta quomodo sequatur et quomodo suo dicendi usu ab eis differat, inquirendum est. Quum vero talem investigationem difficilem et longam esse nemo sit qui nesciat, in hac maxime re tritum illud proverbium, quod est „divide et impera“ sequendum atque ita unitis multorum viribus id agendum est, ut plus paulatim lucis scriptoris operibus afferatur. Itaque quum et mihi ad Thucydidis praeclarissimum opus accuratius intelligendum utile et fortasse etiam aliis, qui in interpretando hoc scriptore operam collocaturi essent, non ingratum fore sperarem, participiorum usum accuratius perlustrare operae pretium esse visum est.

Itaque de universa participiorum vi atque significatione paucis praemissis

I. de participio attributive dicto,
II. de praedicativo participii usu,
III. de participio absoluto,
IV. de temporum participii significatione disseram atque,
V. aliqua de participiorum usus proprietatibus additamenta adjungam.

§ 1.

De participiorum significatione et usu in universum.

Participium, *μετοχή* a Graecis appellatum, est ea pars orationis, quae medium quendam inter nomen et verbum locum obtinet, id quod veteres grammatici indicaverunt, quum ad explicandum nomen *μετοχή* dicerent: *ὅτι ἐστὶ λέξις μετέχουσα τῆς τῶν ῥημάτων καὶ τῆς τῶν ὀνομάτων ἰδιότητος.* Cum adjectivo quidem communem habet formam, ita ut notionem verbi personae aliqui vel rei velut qualitatem quandam inhaerere significet; verbi autem naturam non minus retinet, quum, etiamsi personae et modi significatione careat, et temporum rationem exprimat et eosdem quos verbum casus sibi adjungat et adverbiis denique sicut verbum ipsum arctius circumscribi accuratiusque definiri possit. Itaque adjectivum verbale recte appellatur.

Ac linguae quidem graecae hoc maxime proprium est, ut et activi et passivi et medii singula tempora suum quodque participium formare possint et formaverint, quo factum est, ut participiorum usus apud Graecos scriptores multo latius pateret quam apud aliarum gentium scriptores. Ex hoc autem frequentissimo participiorum usu magnam orationis prodire varietatem, accuratam subtilemque inter res et verba concordantiam, arctum inter enuntiata primaria et secundaria nexum, praeclaram totius orationis perspicuitatem, singularem denique aciem et venustatem facile intelligitur atque hisce, quae dicturus sum, accuratius demonstrabitur.

§ 2.

Participium quum communem cum adjectivo habeat for-

mam atque adjectivi ita sequatur naturam, ut verbi notionem velut qualitatem quandam personae alicui vel rei inhaerere significet, semper aut cum substantivo vel pronomine aliquo jungi aut substantivi vel pronominis notionem cogitatione supplendam esse, facile intelligitnr. Atque id primum in participiis substantive dictis locum habet nec ullam praebet difficultatem. Sed non omnibus locis, ubi substantivum vel pronomen participio deest, res aeque simpliciter se habet, ac praesertim, quum participium substantivo vel pronomine non addito infinitivi structurae insertum est. Rem exemplis illustremus.

I. 63, 4 *): *ἔδοξε δ' οὖν ξυναγαγόντι τοὺς μεθ' ἑαυτοῦ... δρόμῳ βιάσασθαι.* Ex enuntiato antecedenti *αὐτῷ* (i. e. *Ἀριστεῖ*) supplendum est.

I. 75, 10: *οὐκ ἀσφαλὲς ἔτι ἐδόκει εἶναι, τοῖς πολλοῖς ἀπηχθημένους... ἀνέντας κινδυνεύειν* (ubi *ἡμᾶς* supplendum). Similiter *ὑμᾶς* supplendum I. 69, 15.

I. 82, 19: *ἧς φείδεσθαι χρὴ καὶ μὴ ἐς ἀπόνοιαν καταστήσαντας αὐτοὺς ἀληπτοτέρους ἔχειν.* (Ex sententiae nexu ad participium *καταστήσαντας ἡμᾶς* vel *ὑμᾶς* supplendum est.)

I. 96, 5: *πρόσχημα ἦν ἀμύνασθαι ὧν ἔπαθον δῃοῦντας τὴν βασιλέως χώραν.* Ad participium *δῃοῦντας* iidem cogitandi sunt, qui verbo *ἔπαθον* significantur. Conferantur etiam I. 123, 3; 139, 19; 143, 22. II. 3, 18; 11, 21; 27, 5; VI. 78, 18;. VIII. 66, 17.

§ 3.

Quodsi participium sive attributive sive praedicative cum substantivo vel pronomine jungitur, genere, numero, casu cum eis congruere debere manifestum est. At sive per constructionem quam dicunt ad sensum sive per anacoluthiam quandam haud raro fit, ut substantivi vel pronominis et participii genus, numerus, casus differant.

---

*) In locis citandis Classenii editionem secutus sum, ita quidem, ut non paragraphos, sed lineas singulas afferrem.

Atque generis quidem discrepantiam inveni:

I. 110, 10: *πεντήκοντα τριήρεις διάδοχοι πλέουσαι ἐς Αἴγυπτον ἔσχον . . . οὐκ εἰδότες . . .*

II. 91, 7: *νῆες ἴσχουσαι . . . παρεσκευάζοντο ἀμυνούμενοι.* ibidem 16. VII. 22, 8.

Huc etiam referendus est locus, qui est VIII. 102, 10: *τὰς δὲ* (sc. *ναῦς*) *μετὰ τοῦ Μινδάρου ἅμα τῇ ἕῳ κατιδόντες τὴν δίωξιν εὐθὺς ποιούμενοι οὐ φθάνουσι πᾶσαι*, si cum vulgata *πᾶσαι* legere velis. Sed obscurus est locus, ad quem melius explicandum Herbstius conjecit *δίωσιν* pro *δίωξιν*, quam conjecturam si probare voluerimus, etiam *πάσαις* pro *πᾶσαι* (vel *πάσας*, quod Vaticanus praebet) cum Reiskio et Classenio legendum videtur.

Numerum etiam interdum differre, haec exempla demonstrent:

II. 53, 4: *ἐτόλμα τις . . . δρῶντες.* —

II. 3, 2: *Λέσβος ἀπέστη . . . βουληθέντες μὲν . . ἀναγκασθέντες δὲ . . .* — III. 79, 9; 106, 6. V. 10, 47; 60, 21. VI. 44, 9; 53, 2; 60, 21; 69, 9. VII. 75, 20; 79, 14. VIII. 91, 13.

Eos locos, ubi substantivum vel pronomen et participium casu differunt, infra accuratius tractabo, ubi de anacoluthia agam.

His de significatione et usu participii in universum praemissis transeamus jam ad primam disputationis nostrae partem, qua de participio attributive dicto agemus.

I. De participio attributive dicto.

§ 4.

Adjectivi natura, quam in participio inesse diximus, primum eo apparet, quod participium attributive dictum substantivo adjungitur. Primum igitur videamus, quo loco articulum Thucydides apud participium ponere soleat; deinde, quando participium attributive dictum articulo carere possit, considerabimus.

1) Participium nudum i. e. cui alia vocabula non sunt adjuncta, triplici omnino modo sicut adjectivum cum substantivo jungitur.

a) III. 26, 1: *τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους.*

b) III. 31, 2: *οἱ Λέσβιοι οἱ ξυμπλέοντες.*

c) I. 11, 13: *μέρει τῷ ἀεὶ παρόντι.*

Cf. I. 25, 15; 67, 11; 71, 21; 139, 12. II. 29, 9; 34, 11. VI. 4, 8; 69, 16; VII. 42, 36.

Plerumque modo notis a et b significato participium substantivo adjungitur; tertio non ita saepe usurpato id effici Classenius ad I. 1 adnotat, ut, quum substantivi notio nulla accedente circumscriptione ac definitione praecedat, participii (vel adjectivi) notio magis prematur et efferatur. Sed huic opinioni loci, quos attuli, non patrocinantur, immo plerumque hac collocatione substantivum gravius effertur.

2) Si cum participio, ut ejus notio accuratius definiatur arctiusque circumscribatur, alia vocubula conjunguntur, articulus hoc modo ponitur:

a) I. 15, 14: *ἐς τὸν πάλαι ποτὲ γενόμενον πόλεμον.* 18, 5: *τῶν νῦν ἐνοικούντων αὐτὴν Δωριῶν.* Cf. VI. 88, 48. VII. 62, 9.

b) II. 25, 22: *οἱ Μεσσήνιοι καὶ ἄλλοι τινὲς οἱ οὐ δυνάμενοι ἐσβῆναι.* — VI. 53, 4; 61. 10. VII. 23, 14.

c) Fieri etiam potest, ut aliqua pars attributi inter articulum et substantivum ponatur, reliqua pars substantivum sequatur, atque Classenius ad I. 11, 19 recte videtur adnotasse, a Thucydide saepe participium, quum alia vocabula sibi adjungat, articulo non repetito post substantivum poni.

I. 11, 19: *τοῦ νῦν περὶ αὐτῶν διὰ τοὺς ποιητὰς λόγου κατεσχηκότος.* — 90, 6: *τὴν ἐς τὸν Μηδικὸν πόλεμον τόλμαν γενομένην.* 124, 15: *τὴν καθεστηκυῖαν ἐν τῇ Ἑλλάδι πόλιν τύραννον.* Conferantur I. 11, 19; 18, 31; 25, 21; 101, 8; 141, 6; II. 18, 13; 29, 9; 38, 6; 98, 18. III. 115, 3; IV. 37, 7; 59, 3; V. 16, 20; 39, 15; 112, 7; VI. 37, 4; VII. 32, 1; 62, 2, 70, 11. —

d) Possunt denique ea vocabula, quae arctius definiendi causa participio adjiciuntur, articulum praecedere, ut magis

premantur atque efferantur. Ejusmodi exempla apud Thucydidem haec inveniuntur:

IV. 20, 15: *καὶ ἐν τούτῳ τὰ ἐνόντα ἀγαθὰ σκοπεῖτε ὅσα εἰκὸς εἶναι.* — 43, 2: *δύο γὰρ ἦσαν ἐν τῇ μάχῃ οἱ παρόντες.* 59, 3. V. 24, 12. VI. 64, 24; 77, 19.

Haec exempla si perlustraveris, de Thucydide valere negabis, quod Kuehnerus gr. gr. § 464, 2 docet, hanc collorationem interdum ex mera negligentia oriri.

3) Hoc igitur modo Thuc. articulum ponere solet, ut participia attributive cum substantivo jungat. Quodsi participium — id quod saepe contingit — aut articulum substantivi praecedit aut substantivum non repetito articulo sequitur, praedicative accipiendum est, ita ut enuntiati secundarii loco positum esse videatur.

I. 2, 16: *αἱ δυνάμεις τισὶ ἐγγιγνόμεναι στάσεις ἐνεποίουν* = potentiae quum orirentur. 30, 13: *περιιόντι τῷ θέρει* = exeunte aestate. 36, 5: *τὸ δὲ θαρσοῦν μὴ δεξαμένου ἀσθενὲς ὂν πρὸς ἰσχύοντας τοὺς ἐχθροὺς ἀδεέστερον ἐσόμενον* = fiduciam ejus, qui non accepit, si debilis sit, contra hostes, si firmi sint, minus formidolosam fore. — III. 68, 29.

Recte grammatici adnotant, participia hoc modo praedicative posita, quum ipsa collocatione magis efferantur atque premantur, substantivorum fere vim facile accipere. Cf. Kruegerum (Gr. Spr. § 50, 11, 3), qui ipse ex Thucydide affert I. 2, 16 (quem locum supra attuli) et I. 100, 17: (*τοῖς Θρᾳξὶ*) *πολέμιον ἦν τὸ χωρίον αἱ Ἐννέα ὁδοὶ κτιζόμενον.*

Conferantur praeterea II. 35, 8: *μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι πιστευθῆναι* — III. 20, 3: *τῷ σίτῳ ἐπιλιπόντι ἐπιέζοντο.* 29, 9. IV. 29, 8. — IV. 47, 3: *ξυνελάβοντο δὲ τοῦ τοιούτου οὐχ ἥκιστα ... οἱ στρατηγοὶ τῶν Ἀθηναίων κατάδηλοι ὄντες.*

Mira magis sunt haec Pindarici quod vocant schematis exempla: III. 36, 10: *καὶ προσξυνεβάλετο οὐκ ἐλάχιστον τῆς ὁρμῆς αἱ Πελοποννησίων νῆες ἐς Ἰωνίαν ἐκείνοις βοηθοὶ τολμήσασαι παρακινδυνεῦσαι.* — IV. 26, 14: *αἴτιον δ' ἦν οἱ Λακεδαιμόνιοι προειπόντες ... ἐσάγειν.* — VI. 46, 4: *καὶ οἱ*

στρατηγοὶ εὐθὺς ἐν ἀθυμίᾳ ἦσαν, ὅτι αὐτοῖς τοῦτό τε πρῶτον ἀντεκεκρούκει καὶ οἱ Ῥηγῖνοι οὐκ ἐθελήσαντες ξυστρατεύειν.

VIII. 9, 11: *αἴτιον δ' ἐγένετο τῆς ἀποστολῆς τῶν νεῶν οἱ μὲν πολλοὶ τῶν Χίων οὐκ εἰδότες τὰ πρασσόμενα...*

Usitatissimo deinde apud Latinos loquendi genere (cf. ante, post urbem conditam, ab urbe condita) etiam Graeci interdum substantivo cum praepositione conjuncto participium ita adjungunt, ut participium gravius efferendum sit atque substantivi fere vim accipirt.

II. 6, 10: *ἅμα τῇ ἐσόδῳ γιγνομένῃ.* 49, 14: *μετὰ ταῦτα λωφήσαντα.* 68, 14: *ἡλληνίσθησαν τὴν νῦν γλῶσσαν τότε πρῶτον ἀπὸ τῶν Ἀμπρακιωτῶν ξυνοικησάντων.* — VI. 3, 11: *ἔτει πέμπτῳ μετὰ Συρακούσας οἰκισθείσας.* VI. 80, 8. VIII. 76, 20; 97, 13; 100, 17. —

4) Disputationis nostrae decursu jam eo ducti sumus, ut participium praedicative dictum articulo carere demonstraremus. Sed articulus participio etiam attributive dicto tum deesse potest, quum substantivum ipsum articulo caret vel quum participium ad pronomen aliquod referendum est.

I. 5, 7: *προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις.* — 76, 8.

I. 11, 17: *αὐτά γε δὴ ταῦτα ὀνομαστότατα τῶν πρὶν γενόμενα.* — 20, 15; 6, 4. —

§ 5.

De participiis substantive usurpatis accuratius hoc loco explicandum est, quam vim articulus conjunctus cum participio ita usurpato habeat, quando participia sine articulo substantive poni possint, quem usum in neutrius generis participiis substantive dicendis Thuc. sequatur, quo denique loco ponere soleat ea vocabula, quae participium tum arctius definiunt.

Ac primum quidem articulo participiis substantive dictis adjuncto omnes eae personae, quibus participii notio tribuitur, in unum quasi comprehenduntur atque mentis nostrae oculis aspiciendae proponuntur. Sin autem participia sub-

stantive dicta articulo carent, sensum omnino generalem praebent atque si breviter, quid inter utrumque loquendi modum intersit, exprimere voluerimus, dicemus, participium articulo carens vertendum esse „aliqui“ aut „si qui“ vel „si quis“ (Leute, welche — einer, welcher), participium vero cum articulo conjunctum „ii qui“ vel „is qui“ (diejenigen, welche — der, welcher).

Conferantur I. 2, 23: *οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες* = ii qui bello vel seditione fugantur. — I. 40, 6: *οὐ τοῖς ἐπὶ βλάβῃ ἑτέρων ἰοῦσιν.* — I. 34, 10: *ὁ ἐλαχίστας τὰς μεταμελείας ἐκ τοῦ χαρίζεσθαι τοῖς πολεμίοις λαμβάνων ἀσφαλέστατος ἂν διατελοίη.*

I. 69, 5; 26, 3, (*τὸν βουλόμενον*).

I. 71, 11: *ἡσυχαζούσῃ μὲν πόλει τὰ ἀκίνητα νόμινα ἄριστα, πρὸς πολλὰ δὲ ἀναγκαζομένοις ἰέναι πολλῆς καὶ ἐπιτεχνήσεως δεῖ.* I. 33, 2. IV. 17, 10. V. 88, 1.

I. 24, 1: *ἐσπλέοντι* — 10, 34: *τὸ μέσον σκοποῦντι.*

I. 36, 4: *τὸ θαρσοῦν μὴ δεξαμένου.* II. 49, 17.

Quum igitur articulus participio substantive dicto additus significet „ii qui“ vel „is qui“, facile intelligitur, articulum ipsum non indicare, quot personas participii notio complectatur; immo hoc toto loci sensu vel eis vocabulis, quae participio adjuncta sunt, accuratius definitur.

Eadem porro vi, quam in articulo cum participiis substantive dictis conjuncto inesse diximus, efficitur, ut ejusmodi participia saepe eas personas significent, quae ad eam conditionem, de qua sermo est, praecipue pertinent atque ad eam aptae vel necessariae sunt, id quod participiis futuri, praesertim si a verbis *πέμπειν* et *ἔχειν* pendent, saepe contingit.

Huc referenda sunt participia *ὁ βουλόμενος* (I. 26, 3 et alibi passim), *ὁ παρτυχών* (I. 22, 8: *ἐκ τοῦ παρατυχόντος*), *ὁ ἐντυγχάνων* (IV. 40, 11; 132, 18). — VI. 27, 5: *τοὺς δράσαντας ᾔδει οὐδείς.* — VI. 60, 26. — I. 73, 12: *ὄψις τῶν ἀκουσομένων.* II. 51, 18: *οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος.* — III. 38, 7: *θαυμάζω δὲ καὶ ὅστις ἔσται ὁ ἀντερῶν καὶ ἀξιώσων ἀποφαίνειν*... 42, 12: *εὖ δὲ διαβαλὼν ἐκπλῆξαι ἂν τούς τε ἀντεροῦντας. καὶ τοὺς ἀκουσομένους.* —

III. 83, 5: *οὐ γὰρ ἦν ὁ διαλύσων οὔτε λόγος ἐχυρὸς οὔτε ὅρκος φοβερός.* — IV. 78, 29; 93, 13. VI. 20, 15.

Quae hucusque de articuli participio masculini generis adjuncti significatione disputavimus, ea etiam de participiis neutrius generis valere patet. Addendum est autem, apud participia neutrius generis multo rarius articulum omitti.

II. 89, 34: *ἐν δέοντι.* III. 39, 24: *εὐτυχοῦντα.* 67, 7: *ἐξ οὐ προσηκόντων.* VI. 38, 3: *καὶ ἄνδρες οὔτε ὄντα οὔτε ἂν γενόμενα λογοποιοῦσιν.*

Praeterea memorandus est hoc loco frequentissimus participii singularis neutrius generis usus, Thucydidi maxime proprius. Itaque non inutile videtur, omnia hujusmodi participia, quae apud Thucydidem inveniuntur, afferre.

I. 25, 2: *τὸ παρόν.* 32, 11: *ἐν τῷ παρόντι.* 36, 3: *τὸ θαρσοῦν — τὸ δεδιός.* 84, 1: *τὸ βραδὺ καὶ μέλλον.* 84, 8: *παρὰ τὸ δοκοῦν ἡμῖν.* 90, 2: *τὸ μέλλον.* 90, 9: *τὸ βουλόμενον καὶ ὕποπτον τῆς γνώμης.* 98, 9: *παρὰ τὸ καθεστηκός.* — 122, 6: *πρὸς τὸ παρατυγχάνον.* 138, 14: *ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου.* 142, 22: *ἐν τῷ μὴ μελετῶντι.*

II. 59, 12: *τὸ ὀργιζόμενον τῆς γνώμης.* 61, 9: *τὸ λυποῦν.* 63, 1: *τῆς πόλεως τῷ τιμωμένῳ.* 76, 2: *τὸ διῃρημένον.* 76, 9: *τὸ κενούμενον.* 89, 24: *τῷ οὐκ εἰκότι.*

III. 44, 7: *περὶ τοῦ μέλλοντος — τοῦ παρόντος.* 37, 28: *παρὰ τὸ δόξαν.* 38, 11: *τὸ πάνυ δοκοῦν.* 39, 29: *τὸ μὲν θεραπεῦον — τὸ μὴ ὑπεῖκον.*

IV. 36, 7: *κατὰ τὸ ἀεὶ παρεῖκον.* 55, 15: *τὸ μὴ ἐπιχειρούμενον.* 61, 20: *τοῦ εἴκοντος — τὸ ἐπιόν.*

V. 9, 18: *τοῦ μένοντος — ἐν τῷ ἀνειμένῳ.* 66, 18: *τοῦ δρωμένου.* 73, 12: *τὸ νικώμενον.* 73, 15: *τὸ ἡσσηθέν.* 102, 4: *μετὰ τοῦ δρωμένου.* —

VI. 16, 12: *ἐκ τοῦ δρωμένου.* 58, 2: *τὸ γενόμενον.* 69, 9: *τῷ ἐλλείποντι.*

VII. 43, 44: *τοῦ μήπω μεμαχημένου τῶν ἐναντίων.* 49, 3: *τὸ βουλόμενον.* 68, 5: *τὸ θυμούμενον τῆς γνώμης.*

Qui locos modo allatos attente perlegerit, facile videbit, a Thucydide participium neutrius generis in singulari positum saepissime substantivi abstracti loco poni. Quum vero par-

ticipium propter adjectivi verbalis naturam verbi notionem personae alicui vel rei ita tribuat, ut qualitas quaedam ei inhaerens esse videatur, hoc usu efficitur, ut non abstractam aliquam notionem, sed personam aliquam vel rem, cui haec notio inhaereat, cogitemus atque id, quod dicitur, arctius definiatur magisque quasi vivere videatur. Cf. Class. et Krüg. ad I. 36, 3. Memorandum denique est, haec neutrius generis participia in singulari posita substantivi abstracti loco saepe a poetis tragicis, inter Atticae autem prosae scriptores praeter Antiphontem a solo Thucydide solita esse poni.

Restat, ut de eis vocabulis, quae arctius definiendi causa participiis substantive dictis adjunguntur, pauca addamus.

Ac primum quidem quod ad collocationem attinet, ejusmodi vocabula possunt illa quidem inter articulum et participium poni; saepe tamen casus obliqui et infinitivi, qui a participio pendent, et adverbia, quae ad illud pertinent, participium sequuntur.

I. 6, 15: *οἱ τὰ μείζω κεκτημένοι.* 9, 4; 22, 4; 34, 10; 39, 3.

I. 87, 7: *τῶν ξὺν ἐπαίνῳ ἐξοτρυνόντων ἡμᾶς ἐπὶ τὰ δεινὰ παρὰ τὸ δοκοῦν ἡμῖν.*

III. 40, 14: *πρὸς τοὺς μέλλοντας ἐπιτηδείους καὶ τὸ λοιπὸν ἔσεσθαι.*

II. 35, 1: *οἱ πολλοὶ τῶν ἐνθάδε εἰρηκότων ἤδη.* I. 15, 3; 126, 33; 131, 16. III. 38, 2; 28, 10; 55, 15; 56, 19; 66, 2; 82, 34. IV. 107, 3. V. 25, 4; 85, 6. VI. 83, 3; 88, 42; 92, 10.

Vocabula autem ea, quae praedicative cum participio junguntur, plerumque inter articulum et participium ponuntur.

I. 2, 1: *ἡ νῦν Ἑλλὰς καλουμένη.* 12, 7: *τὴν νῦν μὲν Βοιωτίαν, πρότερον δὲ Καδμηίδα γῆν καλουμένην.* 2, 19. II. 5, 9; 15, 11. III. 39, 37; 40, 15. V. 11, 3; 72, 20. VI. 5, 4. VII. 53, 10.

Sed etiam loci inveniuntur, ubi talia vocabula participium sequuntur.

I. 2, 14: *ἡ νῦν Θεσσαλία καλουμένη καὶ Βοιωτία.* 32, 15: *ἡ δοκοῦσα ἡμῶν πρότερον σωφροσύνη.* 100, 12: *τὰς τότε*

καλουμένας Ἐννέα ὁδοὺς, νῦν δὲ Ἀμφίπολιν. I. 112, 5; 74, 16. III. 2, 13; 41, 7. VI. 17, 1.

De genitivo apud participium substantive dictum posito.

Genitivum quem dicunt partitivum cum participio substantive dicto conjungi posse, ex hujus participii natura atque ex eis, quae supra de articuli tali participio adjuncti vi disputavimus, facile apparet.

I. 140, 6: *τοὺς ἀναπειθομένους ὑμῶν.*

II. 13, 47: *αὐτοῦ τοῦ κύκλου τὸ φυλασσόμενον.* 26, 6; 34, 13; 35, 16; 79, 30; 87, 9. III. 67, 16.

Recte autem grammatici docent, pauca participia verbalem naturam adeo amisisse proprieque substantiva facta esse, ut etiam genitivum quem vocant possessoris sibi adjungere possint (ut I. 128, 19: *βασιλέως προσήκοντές τινες.* — 138, 20: *αὐτοῦ οἱ προσήκοντες*), talemque usum fere nisi apud poetas non inveniri. Neque tamen negari potest, Thucydidem in hac re interdum usum paullo liberiorem sequi, ita ut etiam alios genitivos participio substantive dicto adjungat. Ita II. 49, 12: *τὸ ὀργιζόμενον τῆς γνώμης* genitivus possessoris judicandus est; similiter 63, 1: *τῆς πόλεως τῷ τιμωμένῳ.* 87, 10: *τῆς ξυμφορᾶς τῷ ἀποβάντι.* III. 10, 6: *ἐν τῷ ἐλάσσονι τῆς γνώμης.* V. 9, 19: *ἐν τῷ ἀνειμένῳ αὐτῶν τῆς γνώμης.* 86, 3: *τὰ τοῦ πολέμου παρόντα ἤδη καὶ οὐ μέλλοντα.* I. 36, 4: *τὸ θαρσοῦν μὴ δεξάμενον.* — 36, 3: *τὸ δεδιὸς αὐτοῦ.* VI. 24, 4: *τὸ ἐπιθυμοῦν τοῦ πλοῦ* (genitivus caussae). —

Sequitur nunc disputationis nostrae altera pars, qua de participio, quod praedicativi vice fungitur, nobis agendum est.

II. De praedicativo participii usu.

§ 6.

Adjectivum, cujus etiam in hac re participium sequitur naturam atque usum, duplici modo praedicativum esse potest, ita ut aut una cum aliquo verbo, quod copulam vocant,

praedicatum enuntiati constituat aut sine copula alicui substantivo aut ante articulum aut post substantivum non repetito articulo adjungatur. Simili fere modo participium praedicative usurpatur.

Ac primum quidem de eo uso disseram, quo participium alicui verbo, cujus notio per se non est absoluta ac perfecta, ita adjungitur, ut cum eo praedicatum enuntiati constituat. Quod duplici modo fieri potest; participium enim aut subjecto verbi finiti aut objecto ab eo pendenti adjungitur.

Haec fere quum sit grammaticorum de hac re doctrina, meum videtur esse, hoc loco omnia ea verba enumerare, quae apud Thucydidem duplici illo quem dixi modo cum participio conjuncta inveniuntur.

§ 7.

I. Ea verba, quibus notionis complendae causa in subjecti casu participium a Thucydide adjungitur, haec sunt:

1) *εἶναι, γίγνεσθαι, ὑπάρχειν.*

Partipium cum copula *εἶναι* a scriptoribus Atticis semper fere adhiberi ad formandam III. plur. perf. et plusquamperf., ad formandum conjunctivum et optativum perf. pass. eorum verborum, quae non sunt pura, et saepe etiam ad formandum conj. et opt. perfecti activi atque a cujuslibet dialecti scriptoribus ad formandum fut. III. activi inter omnes constat, quare de hac re nihil amplius addendum est.

Sed etiam pro aliis verbi finiti formis participium cum copula *εἶναι* ponitur, ut praedicati notio magis efferatur et urgueatur (ita Kuehner § 353, 4. a. 3), quo loquendi modo docente Kruegero (§ 56, 3. a. 1) non actio transiens, sed conditio permanens atque effectus constans significatur.

I. 38, 8: *εἰ τοῖς πλέοσιν ἀρέσκοντές ἐσμεν.* 99, 5: *ἦσαν οὐκέτι . . . ὁμοίως ἐν ἡδονῇ ἄρχοντες.*

II. 10, 8: *ἐπειδὴ πᾶν τὸ στράτευμα ξυνειλεγμένων ἦν.* — 12, 6: *ἡ γνώμη νενικηκυῖα.* 35, 4: *ἐμοὶ δ᾽ἂν ἀρκοῦν ἐδόκει εἶναι* (*ἀρκοῦν* adjective usurpari, recte Class. ex adverbio *ἀρκούντως* colligit). — 80, 15: *ἦσαν δὲ Κορίνθιοι ξυμπροθυμούμενοι.* 93, 13: *οὔτε ναυτικὸν ἦν προφυλάσσον.* III. 2, 8: *με-*

ταπεμπόμενοι ἦσαν. 3, 1: *ἦσαν γὰρ τεταλαιπωρημένοι*. — 44, 9: *ἐς τὸ λοιπὸν ξυμφέρον ἔσεσθαι* (*ξυμφέρον* adjectivum plane factum est). 52, 6: *εἰρημένον γὰρ ἦν αὐτῷ* — ita recte legendum esse censent Kr., Cl., Stahlius contra Cobetum et Herwerdenium.

I. 47, 6: *ἐπὶ τῇ Λευκίμμῃ . . ὁ πεζὸς ἦν καὶ Ζακυνθίων χίλιοι ὁπλῖται βεβοηθηκότες* (ex antecedenti *ἦν ἦσαν* supplendum est). 47, 8: *ἦσαν παραβεβοηθηκότες*.

IV. 97, 10: *εἶναι καθεστηκός*. 109, 5: *ἐστι προύχουσα*. V. 7, 20: *κεκλῃμέναι τε ἦσαν πᾶσαι* (sc. *πύλαι*). 41, 23: *ἦν ἀρέσκοντα ᾖ*. 61, 19: *ἦσαν κείμενοι*. VI. 29, 3: *εἰργασμένος ἦν*. 50, 16: *εἴ τι ναυτικόν ἐστι καθειλκυσμένον*. VII. 50, 30: *ἦν προσκείμενος*.

Huc non est cum Classenio referendus locus, qui est VIII. 69, 10, ubi *ἥκοντες* non cum verbo *ἦσαν* conjungendum, sed participium esse, pro enuntiato relativo positum, dicendum est. Ad complendam notionem ad verbum *ἦσαν* enuntiatum relativum, quod est *οἷς προείρητο* . . . referendum est.

Sed hac structura Thucydides excepto uno loco, qui est VI. 76, 8: *οὐ γὰρ δὴ εὔλογον* . . . (sc. *αὐτοὺς*) *Χαλκιδέας δουλωσαμένους ἔχειν*, non ut poetae tragici ita utitur, ut mera sit circumlocutio pro aoristo vel perfecto posita, id quod ipsa apud Thucydidem excempla considerantibus nobis elucebit.

I. 29, 23: *ξυνέβη αὐτοῖς παραστήσασθαι, ὥστε . . . . Κορινθίους δήσαντας ἔχειν*. 30, 4: *Κορινθίους δήσαντες εἶχον*.

δήσαντας et *δήσαντες* in his locis sunt participia modi, quae idem significant, ac si *ἐν δεσμοῖς* positum esset (in vincnlis tenere).

38, 15: *Ἐπίδαμνον . . . ἑλόντες βίᾳ ἔχουσιν*. 68, 18: *οὐ γὰρ ἂν Κέρκυραν ὑπολαβόντες βίᾳ ἡμῶν εἶχον*. IV.113, 9: *ὃ* (sc. *φρούριον*) *εἶχον αὐτοὶ καταλαβόντες*. VI. 39, 8: *ὀλιγαρχία . . . τῶν ὠφελίμων οὐ πλεονεκτεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ ξύμπαν ἀφελομένη ἔχει*. VII. 34, 11: *αἱ δὲ νῆες τὸ μεταξὺ εἶχον ἐμφράξασαι*.

In omnibus his locis *ἔχειν* valet habere, possidere, tenere, et participio aoristi (participium perfecti apud Thuc. non

invenitur) significatur, quo modo factum sit, ut quis habeat, possideat, teneat.

Cf. Mathiaeum § 560, b, Kruegerum § 52, 3 a. b, Kuehnerum § 482, 11.

§ 8.

2) *τυγχάνειν, λανθάννειν, φαίνεσθαι* (similia).

Verbum *τυγχάνειν* ei verbo, cujus participium sibi adjungit, fortuiti notionem tribuit.

I. 55, 9: *ἐτύγχανον δὲ καὶ δυνάμει αὐτῶν οἱ πλείους πρῶτοι ὄντες τῆς πόλεως.*

Fortuiti notio saepe in hac structura adeo subtilis est, ut in vernacula lingua solum verbum finitum ponamus.

λανθάνειν. II. 2, 21: *ῥᾷον ἔλαθον ἐσελθόντες.* Cum verbo *λανθάνειν* plerumque participium aoristi jungitur, exceptis I. 141, 35. IV. 29, 21. V. 6, 13. VII. 48, 6, ubi participium praesentis legitur.

Cf. Class. ad VIII. 91, 13.

φαίνεσθαι aut participium aut infinitivum sibi adjungit; si participium, valet: apparet, elucet, si infinitivum, valet: videtur, (cogitando) intelligitur.

Infinitivus invenitur apud Thucydidem I, 132,. 20. II. 3, 14. V, 14, 23. VII. 4, 18.

Participii exempla invenies I. 2. 1; 3, 3; 113, 4. II, 11, 40 aliaque permulta.

διαφαίνεσθαι (= dilucescere, apparere): II, 51, 9. VI. 17, 20.

δῆλός εἰμι: I. 71, 5; 140, 13. VIII. 59, 4; 92, 69.

ἔνδηλός εἰμι: II. 64, 31. III. 36, 22.

φανερός εἰμι: V. 10, 4. VII, 12, 16.

καταφανέστερός } *εἰμι:* V. 16, 15.
ἀπιστότερός }

Adn. Verba *δῆλός* et *φανερός εἰμι* etiam enuntiatum a particula *ὅτι* incipiens adjungere sibi possunt; neque vero apud Thuc. hujusmodi exemplum inveni.

§ 9.

3) παύεσθαι, διατελεῖν, διαγίγνεσθαι, διεξέρχεσθαι, φθάνειν, οἴχεσθαι, περιιστάναι.

παύεσθαι I. 6, 10. II. 65, 11; 76, 11. VII. 85, 7.
διατελεῖν VII. 38, 17.
διάγειν VII. 39, 5.
διαγίγνεσθαι V. 16, 15.
διεξέρχεσθαι III. 45, 9.
φθάνειν II, 91, 5 et alibi passim.

Infininitivus legitur III. 82, 47: ὁ φθάσας θαρσῆσαι et 33, 23: μηδὲ δυοῖν φθάσαι ἁμάρτωσιν, ἢ κακῶσαι ἡμᾶς ἢ σφᾶς αὐτοὺς βεβαιώσασθαι.

Cum verbo φθάνειν a Thuc. partic. aor. jungitur, exceptis locis qui sunt III. 83, 11. VI. 99, 12, ubi partic. praes. legitur. VIII. 92, 4 Vaticanus, quem Class. sequitur, part. perf. ἐξειγρασμένοι praebet contra vulgatam ἐξεργασάμενοι, quam cum Poppone praeferendam esse censeo, „quum etiam IV. 4, 13 ἐξεργασάμενοι legatur et participii perfecti cum φθάνειν juncti exemplum desideremus."

(Sed verborum λανθάνειν et φθάνειν structura etiam hoc modo fieri potest:

II. 80, 21: ἐπεὶ ἐπεραιώθησαν λαθόντες Φορμίωνα.

III. 51, 8; 74, 15. IV. 8, 9; 70, 16. V. 56, 1; 58, 10. VII. 7, 3; 29, 10.

IV. 8, 12: Δημοσθένης ὑπεκπέμπει φθάσας δύο ναῦς. 79, 2; 127, 4. V. 21, 72. VII. 1, 13.)

οἴχεσθαι: VI. 61, 34: ᾤχοντο ἀποπλέοντες. V. 47, 15 et 24.

περιιστάναι: I. 32, 15.

Etiam verbum ἄρχεσθαι apud alios scriptores cum participio jungitur, apud Thuc. vero tantummodo infinitivum sibi adjungit. I. 35, 24; 103, 16; 107, 1. II. 47, 8; 68, 5. III. 18, 21.

§ 10.

4) ἀνέχεσθαι: I. 77, 18. II. 74, 2. V. 69, 8. VI. 16, 20.

ἀντέχειν: II. 70, 2.
διακινδυνεύειν: II. 65, 5.
καρτερεῖν: VIII. 48, 10.
ἐπείγεσθαι: II. 81, 32.
παρασκευάζεσθαι: V. 8, 8.: *τέχνῃ παρεσκευάζετο ἐπιθησόμενος.*

Hoc verbum cum infinitivo construitur I. 115, 24. III. 110, 8. V. 58, 9. VIII. 87, 5 —

cum participio futuri sine particula *ὡς* II. 18, 4; 91, 8. VI. 54, 18. VII. 17, 11. VIII. 59, 2.

Cf. infra § 22.

5) *αἰσχύνεσθαι:* I. 37, 10.
ἄχθεσθαι I. 92, 6. VI. 28, 7.
βαρύνεσθαι: II. 16, 7. VIII. 1, 13.
ἐπιμέλεσθαι: VII. 8, 17.
μεταμέλεσθαι: IV. 27, 13. V. 35, 17. VII. 50, 21.
χαλεπῶς φέρειν II. 16, 8.

6) *δικαίως δρᾶν* IV. 97, 9.
δίκαια ποιεῖν II. 71, 7.
ἀδικεῖν III. 47, 10. IV. 79, 19.
ἐναντία ποιεῖν V. 38, 13.

§ 11.

II. Ea verba quibus notionis complendae causa participium in casu objecti adjungitur, apud Thuc. haec sunt:

1) verba sentiendi et declarandi:

αἰσθάνεσθαι — *προαισθάνεσθαι* (VIII. 79, 13). *ἀκούειν* (V. 46, 31 cum accus. part.). *ἐσακούειν* (I. 82, 11 et V. 45, 18 cum genit. part.). *ἀγγέλλειν* — *ἀπαγγέλλειν* — *γιγνώσκειν* — *ἁλίσκεσθαι* (IV. 46, 13. VII. 3, 20). *δεικνύναι. ἀποδεικνύναι* (I. 6, 23; 25, 8. II. 62, 4). *ἀποφαίνειν* — *ἀνταποφαίνειν* (III. 67, 10). *δηλοῦν. δῆλον ποιεῖν. ἐνθυμεῖσθαι* (I. 130, 23. VI. 78, 3). *εἰδέναι* — *προειδέναι* (II. 17, 5). *ἐπίστασθαι* — *εὑρίσκειν. καταλαμβάνειν. μηνύειν. μανθάνειν* (IV. 126, 13. VI. 40, 2. VII. 42, 22). *ὑπομιμνήσκειν. μεμνῆσθαι. διανοεῖσθαι. κατανοεῖν* (II. 3, 7. III. 66, 3).

νομίζειν (VII. 68, 6). *ὁρᾶν* — *καθορᾶν* (IV. 30, 8. VIII. 60, 11; 107, 3). *ἐνορᾶν* (VII. 36, 6). *πειρᾶσθαι* (IV. 108, 30 cum gen. part.) *πυνθάνεσθαι* — *τηρεῖν* (I. 134, 12. II. 83, 8. VI. 100, 9). *ἐπιτηρεῖν* (V. 37, 6). — *φρυκτωρεῖσθαι* (III. 80, 7). *καταφωρᾶν* (I. 82, 2).

Adn. *καταλαμβάνειν* cum part. praes. vel perf., non aor. conjungitur. Cf. Class. ad I. 59, 2.

Multa ex his verbis etiam cum infinitivo vel cum enuntiato ab *ὅτι(ὡς)* incipiente construuntur, eo discrimine, ut participio substantivi, infinitivo et enuntiato ab *ὅτι(ὡς)* incipiente verbi notio magis efferatur. Sed haec res accuratius tractanda est.

αἰσθάνεσθαι saepissime cum part. conjungitur (I. 26, 8; 33, 8; 47, 1. II. 3, 1; 31, 6 etc.), cum infin. V. 4, 24 et VI. 59, 11.

Kuehner, gr. gr. pag. 629 huc etiam referendum esse censet locum, qui est III. 38, 27: *καὶ προαισθέσθαι τε πρόθυμοι εἶναι*, minus recte, ut mihi videtur, quia haec loci constructio ineptum sensum praebet. Neque Classenii opinionem probo, qui infinitivum *προαισθέσθαι* a verbis *πρόθυμοι εἶναι*, haec autem a participio *ἀνταγωνιζόμενοι* pendere censet, quia, si *πρόθυμοι εἶναι*, etiam *βραδεῖς* (sc. *εἶναι*) ab *ἀνταγωνιζόμενοι* pendere dicendum esset, quod ineptum sensum praebere patet. Itaque sensum unice aptum Stahlii explicationem praebere puto, qui *εἶναι* delendum esse atque infinitivum *προαισθέσθαι* ab adjectivo *πρόθυμοι* pendere docet.

ὅτι post verbum *αἰσθάνεσθαι* invenitur II. 88, 3. V. 2, 8; 10, 53. VIII. 100, 4.

αἰσθάνεσθαι cum gen. part. conjungitur V. 83, 2.

ἀγγέλλειν III. 16, 12. VIII. 79, 21 cum participio, III. 110, 1. IV. 25, 23. V. 63, 6. VIII. 94, 2 cum infinitivo, saepius cum enuntiato a particula *ὅτι* incipiente construitur.

ἀπαγγέλλειν VII. 83, 5 participium, VIII. 26, 2 infinitivum sibi adjungit.

ἀποφαίνειν part. secum habet II. 13, 36; 62, 10; III. 38, 8; 39, 1; 44, 4. IV. 3, 10. VI. 54, 3. VIII. 85, 11,

infinitivum II. 13, 36, enuntiatum a particula ὡς incipiens III. 63, 1.

γιγνώσκειν saepe cum participio (I. 25, 1; 36, 3. II. 4, 2; 13, 4 etc.), cum infinitivo I. 43, 5; 69, 15. III. 48, 1, saepe cum ὅτι construitur.

εἰδέναι saepe participium, ὅτι I. 20, 6. IV. 74, 6; 110, 8. VI. 23, 7; 38, 2; 77, 13. VIII. 48, 45, infinitivum nullo loco sibi adjungit.

ἐπίστασθαι saepe participium (I. 69, 27. IV, 73, 5. V. 36, 17 etc.), I. 69, 13 particulam ὅτι, nusquam infinitivum additnm habet.

Apud verbum *νομίζειν* semel VII. 68, 6 participium invenimus: *νομίσωμεν ἅμα μὲν νομιμώτατον εἶναι . . . ἅμα δὲ ἐχθροὺς ἀμύνασθαι ἐκγενησόμενον ἡμῖν.*

ὁρᾶν saepissime cum part. (I. 1, 6; 49, 27; 62, 20 et alibi passim), uno loco (VIII. 60, 15) cum infin., duobus (II. 89, 30. VII. 42, 17) cum particula ὅτι conjungitur.

Apud verbum *πυνθάνεσθαι* I. 64, 6. III. 18, 1; 80, 10. IV. 6, 2; 50, 14. VI. 96, 2; 104, 21. VII. 4, 35; 31, 14. VIII. 63, 2; 100, 1; 102, 3; 108, 11; 109, 1 participium, I. 132, 21. IV. 24, 9; 29, 5; 105, 3. VI. 75, 11. VII. 1, 12; 25, 7 infinitivus, II. 57, 6. IV. 3, 2; 27, 1; 42, 14. V. 42, 17; 82, 11. VII. 1, 3 ὅτι invenitur.

δηλοῦν I, 21, 12. II. 50, 4. III. 84, 12. V. 65, 7 participium, IV. 68, 29 ὅτι, IV. 108, 12. V. 1, 6 ὡς habet.

δῆλον ποιεῖν III. 64, 1 cum part., VI. 34, 22 cum ὅτι legitur.

δεικνύναι II. 73, 8. V. 8, 10; 9, 40; 72, 10 cum part., IV. 92, 39. VI. 77, 8 cum part. ὅτι construitur.

A verbo *διανοεῖσθαι* I. 141, 2 infinitivus, ibidem 4 et 5 participium peudet.

ὑπομιμνήσκειν VII. 64, 1 sqq. et cum part. ὡς et cum participio construitur.

μεμνῆσθαι V. 26, 20 cum participio, VI. 20, 1 et VIII. 47, 11, cum part. ὅτι conjungitur.

μηνύειν VI. 28, 3 et 4 et participium et particulam ὡς sibi adjungit.

Haec quae attulimus verba participium in casu objecti (ie. pleraque in accus., nonnulla in genit.) sibi adjungunt, in nominativo autem, quoties aut in passivo ponuntur aut eadem persona subjectum simul et objectum est.

I. 11, 17: *αὐτά γε δὴ ταῦτα ὀνομαστότατα τῶν πρὶν γενόμενα δηλοῦται τοῖς ἔργοις ὑποδεέστερα ὄντα τῆς φήμης.*

I. 26, 6; 131, 6. II. 16, 12; 47, 19 etc.

I. 32, 21: *ἀδύνατοι ὁρῶμεν ὄντες.* — 21, 12; 36, 7; 102, 15. II. 4, 2. III. 28, 1. IV. 63, 9 etc. IV. 95, 10 (*ἕκαστος ἔχων ἀγάλλεται*).

§ 12.

2) Praeterea notionis complendae causa in casu objecti participium sibi adjungunt haec verba:

θαυμάζειν I. 51, 4.

ἐν αἰτίᾳ ἔχειν part. II. 59, 5. V. 63, 3, infin. V. 65, 25. VII. 81, 3, *ὅτι* V. 65, 26 habet.

καταπαύειν I. 107, 21. —

καταλείπειν II. 69, 5. V. 105, 8. VII. 2, 23.

κωλύειν I. 26, 6. II. 62, 14 cum part., I. 27, 9. IV. 87, 16 cum infin. jungitur. Quale sit discrimen inter utramque constructionem, ex locis ipsis colligas.

II. 62, 14: *οὐκ ἔστιν ὅστις . . . πλέοντας ὑμᾶς κωλύσει.*

I. 27, 9: *εἰ ἄρα κωλύοιντο ὑπὸ Κερκυραίων πλεῖν.*

παρέχειν V. 35, 8: *οὐδὲ τούς ἐπὶ Θρᾴκης παρεῖχον ξυμμάχους τὰς σπονδὰς δεχομένους.*

Cf. Class. ad hunc locum, qui adjectiva eodem modo constructa confert II. 84, 20: *ἀπειθεστέρας τὰς ναῦς παρεῖχον.* III. 12, 5. IV. 67, 31.

περιορᾷν saepe cum part. (I. 24, 17; 25, 10; 86, 8. II. 18, 21; 20, 12. IV. 11, 19. VII. 6, 3. VIII. 26, 19; 40, 5; 73, 21), cum infin. I. 35, 14; 36, 18. II. 20, 6. IV. 48, 7. V. 29, 5. VI. 86, 3 conjungitur.

Part. aor. apud verbum *περιορᾷν* exprimit, rem jam peractam esse (II. 18, 21: *περιιδεῖν αὐτὴν τμηθεῖσαν.* — II. 20, 12. VIII. 26, 19; 73, 21) idque accuratius part. perf.

efficitur (IV. 11, 19: ἐβόα λέγων ὡς οὐκ εἰκὸς εἴη . . . τοὺς πολεμίους ἐν τῇ χώρᾳ περιιδεῖν τεῖχος πεποιημένους).

Participio praes. rem perdurare significatur: I. 24, 17: δεόμενοι μὴ σφᾶς περιορᾶν φθειρομένους. I. 25, 10; 86, 7. VII. 6, 3. VIII. 40, 5. Cf. Class. ad II. 18, 21.

Inter participium denique et infinitivum hoc interest, ut περιορᾶν cum participio valeat: rem fieri (vel factam esse) non curare, negligere, περιορᾶν cum infinitivo autem: pati, permittere aliquam rem fieri.

Adn. Etiam haec verba, quae hac § 12 allata sunt, participium in casu subjecti sibi adjungunt, quoties aut in passivo ponuntur aut subjectum et objectum in eandem personam cadunt.

§ 13.

Exposito §§ 6—12 eo participii praedicative dicti usu, quo participium verbo alicui, cujus notio per se ipsa non est absoluta atque perfecta, adjunctum, enuntiati praedicatum constituit, transeamus ad alterum usum, quo enuntiati alicujus secundarii loco positum actionem verbo finito expressam vario modo accuratius definit atque circumscribit. Jam § 4, 3 participium substantivo ita adjunctum, ut aut articulum praecedat aut substantivum non repetito articulo sequatur, praedicative accipiendum esse exposuimus. Multo autem latius patet is, de quo nunc dicturi sumus, usus, quo ad actionem verbo finito expressam vario modo definiendam atque circumscribendam participia adhibentur ideoque ad verbum finitum propius pertinent quam ad substantivum, quo fit, ut medium quendam locum inter attributivum et praedicativum usum teneant, quem usum Kruegerus haud inepte videtur appositivum vocare. Quum vero ea, quae de participiis conjunctis hoc modo usurpatis dicenda sunt, plane etiam de participiis absolutis valeant, haud ineptum visum est, participii et conjuncti et absoluti hoc loco exempla simul afferre. Referendae etiam sunt eae particulae, quae his participiis ad eam rationem, quae inter participium et verbum finitum intercedit, accuratius significandam saepe adjunguntur.

§ 14.

1) Participia verbo finito addita saepe ejus tempus accuratius definiunt.

IV. 69, 23: *οἱ Ἀθηναῖοι τὰ μακρὰ τείχη ἀποῤῥήξαντες ἀπὸ τῆς τῶν Μεγαρέων πόλεως καὶ τὴν Νίσαιαν παραλαβόντες τἄλλα παρεσκευάζοντο.*

I. 50, 1: *τῆς τροπῆς γενομένης οἱ Κορίνθιοι τὰ σκάφη οὐχ εἷλον.*

Adverbia temporis accuratius describendi causa participio et conjuncto et absoluto haec adjunguntur.

I. 37, 4: *ἀναγκαῖον μνησθέντας πρῶτον καὶ ἡμᾶς περὶ ἀμφοτέρων, οὕτω καὶ ἐπὶ τὸν ἄλλον λόγον ἰέναι.* 36, 17. II. 5, 27. V. 76, 8.

οὕτως simili modo dictum est III. 96, 8. IV. 88, 8; 135, 4. Cf. Class. ad I. 37, 4.

ἅμα (simul): I. 144, 2: *ἅμα πολεμοῦντες* — 14, 3: *ἅμα τοῦ βαρβάρου προσδοκίμου ὄντος.* I. 2, 7: *ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ.* — 6, 10: *ἅμα τῇ ἐσόδῳ γιγνομένῃ.*

Adverbium *ἅμα* saepe etiam adhibetur ad novam rem addendam.

VII. 29, 4: *προστάξαντες . . . καὶ εἰπόντες ἅμα . . .* ibidem 17: *τοῦ τείχους ἀσθενοῦς ὄντος . . . καὶ πυλῶν ἅμα διὰ τὴν ἄδειαν ἀνεῳγμένων.* Cf. VII. 14, 18; 18, 30; 37, 2 et alibi passim.

ἄρτι (modo, nuper): II. 6, 11; 79, 17. III. 3, 2. IV. 8, 4; 96, 31.

ἤδη: II. 15, 14. IV. 90, 4; 133, 13 etc.

ἔτι: II. 5, 16. IV. 6, 5. V. 2, 5. II. 63, 11: *οὐ βιαζόμενοι ἔτι.*

εὐθύς II. 47, 3: *τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου Πελοποννήσιοι . . . ἐσέβαλον.* — IV. 116, 3: *ἐπιφερόμενος τῷ στρατῷ εὐθὺς τὸ τείχισμα λαμβάνει.* Cf. IV. 43, 6; 54, 7; 89, 1; 123, 12.

Notandum est, Thuc. libenter adverbium *εὐθύς* juxta participium collocare, etiam si ad verbum finitum proprie pertineat ejusque actionem statim incidisse significet. Eodem modo collocantur adverbia, quae sunt *παραυτίκα*

(II. 49, 40, ubi vide Classenii adnotationem), *ἐξαίφνης* (II. 49, 5. VII. 32, 11; 40, 2), *αἰφνιδίως* VII. 3, 1.

Nonnulla ejusmodi participia adverbiorum fere significationem habere recte grammatici adnotant.

II. 47, 11: *τελευτῶντες αὐτῶν ἀπέστησαν* (postremo ab eis (sc. rebus) destiterunt). 51, 12. — IV. 64, 1: *ἅπερ καὶ ἀρχόμενος εἶπον.* VI. 53, 16: *ἐπιστάμενος ὁ δῆμος τὴν . . . τυραννίδα χαλεπὴν τελευτῶσαν γενομένην . . .*

VIII. 81, 22: *ἢν δέῃ τελευτῶντα τὴν ἑαυτοῦ στρωμνὴν ἐξαργυρῶσαι.*

Accuratius considerandus est locus, qui est IV. 72, 22: *οὐ μέντοι ἔν γε τῷ παντὶ ἔργῳ βεβαίως οὐδέτεροι τελευτήσαντες ἀπεκρίθησαν.*

Classenii explicatio duplici videtur vitio laborare: primum enim recte Stahlius rejicit explicationem participii *τελευτήσαντες* ab eo prolatam, quod „postremo" valere putat; neque enim haec forma ullo alio loco hanc adverbii significationem habet neque hoc loco habere potest, quum *τελευτήσαντες* et *ἀπεκρίθησαν* etiam probata Classenii explicatione tempore coincidant. Deinde ferri non posse puto zeugma illud, quod statuit dicens, *ἀπεκρίθησαν* in primo enuntiati membro valere „zur Entscheidung gelangen", in altero suppletum valere „aus einander gehen, discedere".

Neque vero probanda est Stahlii opinio, qui *οὐδέν* addendum locumque vertendum esse ceuset: „cum certo eventu neutri quidquam exsecuti." Recte enim jam Ulrichius (Beiträge zur Kritik des Thuc. I. 20 sqq.) docuit, verbum *τελευτᾶν* cum objecto non posse conjungi, cujus rei aliud exemplum non exstaret, ideoque corruptelam inesse jure suspicatus est. Quomodo autem locus corrigendus esset, neque ille satis intellexit neque alius quisquam.

2) Participia et causam et finem agendi significant.

I. 17, 1: *Τύραννοι δὲ ὅσοι ἦσαν . . ., τὸ ἐφ' ἑαυτῶν μόνον προορώμενοι . . ., δι' ἀσφαλείας . . . τὰς πόλεις ᾤκουν.*

50, 6: *πολλῶν γὰρ νεῶν οὐσῶν ἀμφοτέρων καὶ ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάσσης ἐπεχουσῶν . . . οὐ ῥᾳδίως τὴν διάγνωσιν ἐποιοῦντο.*

I. 18, 5: *ὁ βάρβαρος τῷ μεγάλῳ στόλῳ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα δουλωσόμενος ἦλθε.*

Eis participiis, quae causam agendi exprimunt, saepe haec, quae sequuntur, adverbia adjunguntur:

ἄλλως τε καί (praesertim quod): I. 70, 2; 85, 8. II. 8, 14. VI. 6, 23; 8, 9; 80, 2 etc.

οἷα: II. 5, 12. VIII. 95, 6. *ἅτε*: IV. 94, 7; 130, 24. V. 72, 1. VII. 44, 30; 58, 20; 85, 15. VIII. 52, 13.

Particulae *οἷα* et *ἅτε* objectivae quam dicunt causae adduntur atque respondent latino: quippe (quoniam, quod, quum), nostro: natürlich; denn . . . .

De particula *ὥστε* cum participio conjuncta.

Particulam quae est *ὥστε* cum participio conjunctam codices duobus locis praebent.

VI. 71, 16: *τὸν πόλεμον αὐτόθεν ποιεῖσθαι οὔπω ἐδόκει δυνατὸν εἶναι, πρὶν ἄν τά τε ἄλλα καὶ σῖτον καὶ ὅσων δέοι παρασκευάσωνται, ὥστε τὸ ἔαρ ἐπιχειρήσοντες ταῖς Συρακούσαις.*

Hunc locum contra plurimorum et optimorum (ita Poppo-Stahlius ad h. l.) codicum auctoritatem homines docti omnes ita restituerunt, ut *ὡς ἐς τὸ ἔαρ* scriberent.

Summopere autem homines docti de VII. 24, 7 etiam nunc dissentiunt, ubi codices omnes uno h excepto *ὥστε* praebent: *χρήματα πολλὰ τὰ ξύμπαντα ἑάλω· ὥστε γὰρ ταμιείῳ χρωμένων τῶν Ἀθηναίων τοῖς τείχεσι πολλὰ μὲν ἐμπόρων χρήματα καὶ σῖτος ἐνῆν.*

Particulam *ὥστε* hoc doco defendunt Lobeckius ad Phryn. p. 472 et Kuehner gr. gr. § 489, 1. Sed jam Poppo (ed. maj. pars II. vol. IV. pag. 278) recte adnotat: „Homericum et Herodoteum usum particulae *ὥστε* pro *ὡς*, a tragicis non plane alienum, ne reliquis quidem Atticis abjudicari vult Lob. ad Phryn. p. 427. Sed ex probatis scriptoribus tres tantum locos proferre potuit, e quibus unus noster est, alter Isocr. Paneg. p. 73 s. c. 47, aliter ac vulgo fit interpretandus,

tertius Aristoph. Eccl. 783, tentatus a Matth. Gr. § 629 p. 1287."

In eundem fere sensum loquitur Fritzschius in Jahnii et Klotzii annall. phil. 1829. II. 1, pag. 13 sqq.

Particula igitur qnae est *ὥστε* hoc loco retineri non potest. J. Bekker ex codice h reposuit *ἅτε γὰρ*, quam conjecturam probaverunt Fritzschius l. c. Poppo l. c. (dicens: J. Bekker *ἅτε*, recte, ut videtur — postea addit: maluimus tamen timidiores quam audaciores videri), Class., alii. Quamquam negari non potest, non ita difficile ex litera *ω*, quae in verbo *ἑάλω* antecedit, per scribae errorem *ω* repeti potuisse, ita ut *ὥτε* oriretur, alium deinde scribam, *ὥτε* non intelligentem, *ὥστε* scripsisse, alio tamen modo, quem Sauppius in Jahnii et Klotzii ann. phil. vol. 6 p. 69 et in epistola critica ad Godofr. Herm. p. 81 proposuit, facilius locus ita sanari potest, ut *ὥς τε γὰρ ταμιείῳ χρωμένων* . . . scribatur. Atque eo magis probanda videtur haec conjectura, quod pro verbis *μέγιστον δὲ*, quae particulae nostrae *τε* respondere Sauppius dixit in ann. phil. l. c., nuper Class. ex Vaticano *μέγιστόν τε* scripsit.

Stahlii denique conjectura, quam nuper in Popponis editione minore proposuit, *ὥσπερ* legendum esse dicens, probari non potest, quia *τοῖς τείχεσιν* Athenienses non pariter atque penario (*ὥσπερ*) utebantur, sed eis revera pro penario erant (*ὡς*).

Causam agendi repetit atque effert adverbium *οὕτω* VI. 61, 20: *ὥστε βουλόμενοι αὐτὸν ἐς κρίσιν ἀγαγόντες ἀποκτεῖναι, πέμπουσιν οὕτω τὴν Σαλαμινίαν ναῦν.*

Ad significandum finem agendi semper fere participio futuri Graeci utuntur, quod praesertim post verba eundi, veniendi, mittendi legitur; post verbum *πέμπειν* interdum etiam participio praes. finis agendi tempusque futurum exprimitur; cf. tamen de hac re infra § 22.

Saepissime particula *ὡς* participio adjungitur, ut et subjectiva quam dicunt causa et finis agendi exprimatur. Sed de hac particula fusius agemus infra § 15.

3) Participia conditionem exprimunt:

I. 21, 1: *ἐκ δὲ τῶν εἰρημένων τεκμηρίων ὅμως τοιαῦτα ἄν τις νομίζων μάλιστα ἃ διῆλθον οὐχ ἁμαρτάνοι.* — 35, 9: *εἶτα ἐν ἀδικήματι θήσονται πεισθέντων ὑμῶν ἃ δεόμεθα.*

4) Participia ad exprimendam concessionem sive enuntiatorum concessivorum loco ponuntur.

I. 18, 6: *ἡ Λακεδαίμων . . . ἐπὶ πλεῖστον ὧν ἴσμεν χρόνον στασιάσασα ὅμως ἐκ παλαιοτάτου καὶ ηὐνομήθη καὶ ἀεὶ ἀτυράννευτος ἦν.*

21, 9: *καὶ ὁ πόλεμος οὗτος, καίπερ τῶν ἀνθρώπων ἐν ᾧ μὲν ἂν πολεμῶσι τὸν παρόντα ἀεὶ μέγιστον κρινόντων, παυσαμένων δὲ τὰ ἀρχαῖα μᾶλλον θαυμαζόντων, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων σκοποῦσι δηλώσει ὅμως μείζων γεγεννημένος αὐτῶν.*

Ejusmodi participiis haec adverbia adjunguntur:

ὅμως, quae particula *ἀπόδοσιν* plerumque inchoat atque ita concessionem magis effert. I. 9, 8. II. 63, 53. III. 40, 21 etc.

Alia hujus particulae collocatio invenitur:

V. 61, 14: *οὗτοι δὲ ὅμως καὶ πεισθέντες ὑπελείποντο.*

καίπερ I. 140, 2. IV. 10, 12; 10, 18; 39, 11 et alibi passim.

καί: III. 3, 7: *ἐπειδὴ μέντοι καὶ πέμψαντες πρέσβεις οὐκ ἔπειθον τοὺς Μυτιληναίους . . . ἐβούλοντο.* 46, 5. VI. 16, 34; 53, 13.

καὶ μή VI. 16, 26. VII. 13, 2.

5) Participio exprimitur, quo modo aliqua actio procedat, quibus instrumentis auxiliisque conficiatur.

I. 2, 25: *καὶ πολῖται γιγνόμενοι εὐθὺς ἀπὸ παλαιοῦ μείζω ἔτι ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώπων τὴν πόλιν.* — 133, 6: *καὶ Παυσανίου ὡς αὐτὸν ἐλθόντος καὶ ἐρωτῶντος τὴν πρόφασιν τῆς ἱκετείας ᾔσθοντο πάντα σαφῶς, αἰτιωμένου τοῦ ἀνθρώπου τά τε περὶ αὐτοῦ γραφέντα καὶ τἆλλ' ἀποφαίνοντος καθ' ἕκαστον.*

Ex his participiis linguae Graecae haec praesertim propria sunt:

ἄγων (I. 9, 2. VI. 4, 2), *ἔχων* (I. 9, 6), *λαβών* (I. 116, 4),

ξυνελών (I. 70, 32), φέρων (V. 76, 12), ad quae vertenda nos adverbiis vel praepositionibus uti solemus.

6) Saepe participia relativorum enuntiatorum loco ponuntur ac tum apte appositiva vocantur.

I. 13, 28: *Πολυκράτης, Σάμου τυραννῶν ἐπὶ Καμβύσου.* — 26, 5: *ἐς Ἀπολλωνίαν, Κορινθίων οὖσαν ἀποικίαν.* II. 8, 10: *Δῆλος, . . πρότερον οὔπω σεισθεῖσα* — et alibi saepissime.

§ 15.

De particula ὡς cum participio conjuncta*).

Particula ὡς mirum est quam vario modo subtiliter et eleganter participii rationem mutet ac definiat. Cujus quidem particulae, quae antiqua quaedam videtur esse ablativi forma, eodem modo quo *αὔτως* ab *αὐτός*, *οὕτως* ab *οὗτος*, *ἐκείνως* ab *ἐκεῖνος*, a pronomine relativo *ὅς* derivata, nativam atque primariam significationem esse comparativam grammatici docent, ita ut latinis vocabulis „quomodo" vel „ut" respondeat, atque hanc comparationis vim in hac particula etiam cum participio conjuncta inesse atque inde significationes eas, quae plerumque huic particulae tribuuntur, oriri, plerisque locis facile est ad intelligendum.

Ac primam quidem hujus particulae cum participio conjunctae significationem hanc esse homines docti statuunt, ut subjectivam quam dicunt causam exprimat. Num haec causa, qua subjectum ad agendum movetur, re vera adsit, particula ὡς nullo modo declaratur, immo vero ex toto loci sensu et contextu judicandum est, utrum eam agendi causam, quae participio exprimitur, vere adesse subjectum certo intelligat an hac causa ad agendum se adduci tantummodo simulet an eam adesse mere suspicetur atque existimet. Itaque ex loci sensu et contextu judicandum est, utrum particulam ὡς

---

*) Consului de hac materia accuratam de vi et usu patriculae ὡς apud Thuc. commentationem, quam conscripsit Th. Wisén. Hanniae 1862.

vocibus „erkennend, dass, in der Ueberzeugung, dass“ an „vorgebend, dass“ an „vermuthend, glaubend, meinend dass“ vertamus. Exemplis rem illustremus.

I. 7, 12: *καί τινες καὶ τείχη περιεβάλλοντο ὡς πλουσιώτεροι ἑαυτῶν γιγνόμενοι* = erant etiam, qui muris se circumdarent, intelligentes, divitias suas magis magisque augeri (apte Class. vertit: im Bewusstsein des wachsenden Wohlstandes). — Nativa atque primaria hujus loci significatio haec est: Muris se circumdabant ut urbium incolae (sc. facere solent), quorum divitiae magis magisque augentur. Contextu indicatur, revera eorum divitias auctas fuisse atque ita ea, quam vertendo expressimus, significatio oritur.

Cf. I. 24, 16: *πέμπουσιν ἐς τὴν Κέρκυραν πρέσβεις ὡς μητρόπολιν οὖσαν* (patriam suam esse reputantes).

I. 54, 3: *οἱ μὲν Κορίνθιοι . . τροπαῖον ἔστησαν* l. 7: *οἱ δὲ Κερκυραῖοι τροπαῖον ἀντέστησαν... ὡς νενικηκότες.* — Nativa sententia: Tropaeum et ipsi statuerunt, ut homines qui vicerunt. Locum vertere possumus aut „intelligentes se vicisse“ aut „putantes se vicisse“. Utrum praeferendum sit, non particula *ὡς*, sed contextu docetur. Eis enim, quae sequuntur, Thuc. accurate exponit, quas ob res utrique se vicisse judicaverint, unde intelligitur, dubitari potuisse, cujus re vera esset victoria, itaque hoc loco vertendum est: „putantes, se vicisse“.

I. 20, 11: *τοῦ μὲν ἀπέσχοντο ὡς προειδότος* = alteri quidem manus non injecerunt, certiorem eum factum esse suspicati.

Cf. III. 26, 14; 37, 21.

III. 55, 5: *πρὸς Ἀθηναίους ἐκελεύετε τραπέσθαι ὡς ἐγγὺς ὄντας, ὑμῶν δὲ μακρὰν ἀποικοῦντων* = Athenienses ut adiremus nos monuistis, ut qui prope adessent, quum vos procul habitaretis. — Particula *ὡς* hoc loco subjectivam exprimit causam, quam simulandi causa Lacedaemonios protulisse sensu docetur. Revera sane Athenienses prope aderant, Lacedaemonii procul aberant; sed de rei veritate particula *ὡς* nihil declaratur; ex contextu apparet, Lacedaemonios falso dixisse, hac se causa commotos Plataeensium precibus nolle obsequi. Cf. IV. 114, 7. VII. 73, 26. VIII. 51, 15.

Eundem sensum particula ὡς exprimit cum participio absoluto conjuncta. Conferantur I. 2, 27; 73, 26. IV. 14, 26. — I. 5, 10. II. 7, 11. — I. 90, 9; 135, 2. II. 85, 15. — I. 2, 24; 28, 5. II. 35, 2; 89, 6. VII. 5, 15; 15, 5; 25, 24.

Hoc unum adnotandum est, quod docent grammatici, post verba sentiendi et declarandi genitivos absolutos cum particula ὡς conjunctos saepe id ipsum exprimere, quod sentiatur vel declaretur. Ex Thuc. huc referendus est locus, qui est VII. 15, 1: *καὶ νῦν ὡς ἐφ' ἃ μὲν ἤλθομεν τὸ πρῶτον καὶ τῶν στρατιωτῶν καὶ τῶν ἡγεμόνων ὑμῶν μὴ μεμπτῶν γεγενημένων, οὕτω τὴν γνώμην ἔχετε.* — Similis est III. 75, 17: *ὁ δῆμος ὁπλισθεὶς ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ, ὡς οὐδὲν αὐτῶν ὑγιὲς διανοουμένων τῇ τοῦ μὴ ξυμπλεῖν ἀπιστίᾳ, τά τε ὅπλα αὐτῶν ἐκ τῶν οἰκιῶν ἔλαβεν.* Nescio an idem judicandum sit de I. 90, 9: *ἠξίουν.. τὸ μὲν βουλόμενον καὶ ὕποπτον τῆς γνώμης οὐ δηλοῦντες ἐς τοὺς Ἀθηναίους, ὡς δὲ τοῦ βαρβάρου, εἰ αὖθις ἐπέλθοι, οὐκ ἂν ἔχοντος ἀπὸ ἐχυροῦ ποθεν ... ὁρμᾶσθαι.*

Sequitur nunc secunda particulae ὡς cum participio conjunctae significatio: potest enim haec particula cum participio futuri conjuncta finem agendi, quo subjectum movetur, exprimere. Frequentissima sunt hujus significationis exempla, praesertim post verbum *παρασκευάζεσθαι*. Nativam significationem etiam hic comparativum esse, is, qui accurate ejusmodi locos consideraverit, facile intelliget.

I. 26, 18: *στρατεύουσιν ἐπ' αὐτοὺς οἱ Κερκυραῖοι τεσσαράκοντα ναυσὶ μετὰ τῶν φυγάδων ὡς κατάξοντες* (proficiscuntur ut homines, qui reducturi sunt — facilem ex hac vi comparativa ad finis significationem esse transitum patet). Cf. I. 63, 11; 97, 7; 100, 12. II. 7, 3; 12, 4. III. 15, 6; IV. 8, 16 etc.

Haud raro deinde haec particula quum adjectivis et substantivis tum participiis adjuncta restringendi vim habet, latinae particulae „ut“ etiam in hac re respondens. Cf. Nepos, Epam. 5: Meneclidas satis exercitatus in dicendo, ut Thebanus scilicet (für einen Thebaner). I. 10, 35: *οὐ πολλοὶ φαί-*

νονται ἐλθόντες ὡς ἀπὸ πάσης τῆς Ἑλλάδος κοινῇ πεμπόμενοι (ut ex universa Graecia communiter missi). — 68, 4: *διδασκαλίας ἂν ὡς οὐκ εἰδόσι προσέδει*. II. 3, 15: *ὡς ἐκ τῶν δυνατῶν* (cf. Class. ad h. l.). IV 17, 9: *λάβετε δὲ αὐτοὺς μὴ πολεμίως μηδ' ὡς ἀξύνετοι διδασκόμενοι*. VI. 70, 18: *ὡς ἐκ τῶν παρόντων*. VII. 76, 2: *ὡς ἐκ τῶν ὑπαρχόντων* Cf. I. 84, 22. VI. 80, 6.

§ 16.

De particula *ἂν* cum participio conjuncta.

Particula *ἄν*, quae haud raro praesentis et aoristi participio et conjuncto et absoluto adjungitur, efficitur, ut ejusmodi participia idem valeant quod aut

1) indicativus imperfecti vel aoristi aut,
2) optativus praesentis vel aoristi

addita particula *ἂν* significant.

Ad 1) I. 76, 3: *καὶ εἰ τότε ὑπομείναντες διὰ παντὸς ἀπήχθησθε ἐν τῇ ἡγεμονίᾳ, εὖ ἴσμεν μὴ ἂν ἧσσον ὑμᾶς λυπηροὺς γενομένους τοῖς ξυμμάχοις καὶ ἀναγκασθέντας ἂν ἢ ἄρχειν ἐγκρατῶς ἢ αὐτοὺς κινδυνεύειν* = ac si illo tempore semper perseverassetis atque in odium venissetis in principatu sicut nos, futurum fuisse haud ignoramus, ut non minus molesti essetis sociis atque cogeremini aut imperare severe aut ipsi in periculo versari (omissis vocabulis *εὖ ἴσμεν* dicendum fuisset; *οὐκ ἂν ἧσσον λυπηροὶ ἐγένεσθε τοῖς ξυμμάχοις καὶ ἠναγκάσθητε*...).

Cf. I. 73, 24; 90, 3 (*τὰ μὲν καὶ αὐτοὶ ἥδιον ἂν ὁρῶντες* = *τὰ μὲν ὅτι καὶ αὐτοὶ ἥδιον ἂν ἑώρων*). — III. 82, 6: *ἐν μὲν εἰρήνῃ οὐκ ἂν ἐχόντων πρόφασιν* = *ἐπεὶ, εἰ εἰρήνη ἦν, οὐκ ἂν εἶχον πρόφασιν* (ita Poppo-Stahl.). — VIII. 89, 8.

Ad 2) I. 80, 5: *εὕροιτε δ' ἂν τόνδε περὶ οὗ νῦν βουλεύεσθε, οὐκ ἂν ἐλάχιστον γενόμενον, εἰ σωφρόνως τις αὐτὸν ἐκλογίζοιτο*. — 90, 11. II. 53, 15 (ubi notandum est, particulam *ἂν* ad participium et infinitivum pertinere). 80, 8; 87, 27. III, 27, 21; 67, 21 (ubi recte Dobree particulam *ἂν* participio addendam esse conjecit — cf. Class. ad h. l.). —

IV. 10, 4. V. 9, 8; 15, 9; 60, 25; 105, 17. VI. 2, 23; 24, 10; 34, 37, 45; 38, 3; 64, 5; 80, 28. VII. 42, 32. 67, 26.

Hoc loco etiam notandum est, quod Poppo ad I. 11 scripsit, saepe, si conditio in participio insit, particulam *ἄν* collocatione cum hoc participio conjungi.

I. 11, 14: *πολιορκίᾳ δ' ἂν προσκαθεζόμενοι ἐν ἐλάσσονί τε χρόνῳ καὶ ἀπονώτερον τὴν Τροίαν εἷλον* (= *εἰ προσεκαθέζοντο, εἷλον ἄν*).

Cf. I. 21, 1. VI. 80, 26. VII. 77, 23. VIII. 87|, 27; 92, 70 (ubi vide Classenium recte particulam *ἄν* cum codicibus retinentem). — Referendus huc etiam est locus V. 60, 20: *ἀξιόμαχοι δοκοῦντες εἶναι οὐ τῇ Ἀργείων μόνον ξυμμαχίᾳ, ἀλλὰ κἂν* (id quod jam Bekkerus conjecit) *ἄλλῃ ἔτι προσγενομένῃ*, quod quidem participium minus recte Class. solvendum esse docet: *εἰ ἄλλη ἔτι προσεγένετο;* aptius solvitur: *εἰ ἄλλη ἔτι προσγένοιτο.*

VI. 99, 13: *ἐκείνους δ' ἂν παυομένους τοῦ ἔργου πάντας ἂν πρὸς σφᾶς τρέπεσθαι.* Sufficeret procul dubio particula *ἄν* semel posita. Sed quum Thuc. haud raro part. *ἄν* in eodem enuntiato bis ponat, ad vocabula, quae gravius efferenda sunt, eam repetendo, non est, cur cum codice Vaticano et Parisino H contra reliquos part. *ἄν* post *πάντας*, quae vox praecipue premenda est, omittamus. Exempla particulae *ἄν* bis positae inveniuntur V. 9, 16; 105, 9. VI. 18, 11; 36. I. 76, 4.

III. De participio absoluto.

§ 17.

Supra §§ 13 et 14 jam expositum exemplisque illustratum est, participio non solum conjuncto, sed etiam absoluto actionem verbo finito expressam adverbiorum vel secundariorum cujuslibet generis enuntiatorum loco accuratius definiri atque circumscribi. Allatae sunt etiam eae particulae, quae ad rationem participiorum accuratius significandam vel magis efferendam participio et conjuncto et absoluto saepe adjun-

guntur. Itaque hoc loco restat, ut proprietates quasdam quae in participii absoluti usu contingunt, accuratius exponamus.

§ 18.

De genitivis absolutis.

Genitivi absoluti ita plerumque construuntur, ut alicujus substantivi genitivo genitivus participii adjungatur. Interdum tamen impersonalium etiam verborum genitivus absolute ponitur, cujusmodi exempla apud Thucydidem haec inveni.

I. 7, 2: *πλοϊμωτέρων ὄντων*. 74, 1: *σαφῶς δηλωθέντος, ὅτι..* 76, 11: *ἀεὶ καθεστῶτος τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι*. 116, 15: *ἐσαγγελθέντων, ὅτι Φοίνισσαι νῆες ἐπ' αὐτοὺς πλέουσιν*. IV. 20, 5: *ἔτι δ' ὄντων ἀκρίτων*. VI. 58, 1: *ἀγγελθέντος*.

Cf. Classenium ad I. 7, 2 recte adnotantem, Thucydidem, quemadmodum saepe adjectivorum neutra in plurali posita impersonaliter usurpet (*ἑτοῖμα, ἀδύνατα ἦν*, saepe adjectiva verbalia), ita etiam in genitivis absolutis ejusmodi pluralia ponere.

Sed praeter haec impersonalia participia saepe etiam inveniuntur genitivi participiorum absolute dicti, qui substantivo carent; substantivi igitur genitivus ex contextu supplendus aut subjectum aliquod indefinitum tertiae personae cogitandum est. Ejusmodi exempla apud Thuc. haec inveni:

I. 2, 9: *ἀτειχίστων ἅμα ὄντων* (Class.: da man noch keine Mauern hatte) — 3, 9: *καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελίᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις* (Class.: da man sie herbeirief). 73, 24: *ἀδυνάτων ἂν ὄντων* (supple: *Πελοποννησίων* vel *ὑμῶν*) *πρὸς ναῦς πολλὰς ἀλλήλοις ἐπιβοηθεῖν*. I. 1, 3; 5, 14. II. 5, 23; 6, 10; 52, 5, 9; 60, 22; 77, 11; 81, 27. III. 3, 17; 34, 17; 38, 26; 45, 13; 55, 3; 70, 9; 72, 1; 82, 6, 46, 54; 89, 20; 92, 19. IV. 3, 6; 16, 19; 21, 12; 34, 21; 47, 1; 58, 6; 66, 5; 67, 19; 73, 13; 18; 78, 20; 83, 21; 94, 10; 96, 22; 108, 6 et 8; 130, 20; 135, 6. V. 17, 11, 14; 18, 24; 31, 12; 33, 4; 71, 1; 103, 4. VI. 33, 2; 66, 12; 98, 11. VII. 27,

16; 48, 11. VIII. 6, 23; 14, 5, 11; 28, 9; 48, 13; 76, 22; 86, 17; 95, 19.

Ex regula generali genitivi absoluti ponendi non sunt, si notio genitivo expressa in enuntiati primarii aliquo vocabulo extat. Haud raro tamen, „ut suapte magis vi sententia constet“ (ut ait Poppo-Stahlius ad III. 82, 6) hanc regulam scriptores non sequuntur, cujus rei exempla apud Thuc. in his locis invenies:

I. 114, 2: *καὶ ἐς αὐτὴν διαβεβηκότος ἤδη Περικλέους στρατιᾷ Ἀθηναίων, ἠγγέλθη αὐτῷ.* II. 5, 23; 8, 13; 49, 32; 82, 5; 83, 15 (*παρὰ γῆν σφῶν κομιζομένων καὶ... διαβαλλόντων... κατεῖδον τοὺς Ἀθηναίους.*). — III. 4, 14; 13, 30; 22, 6; 36, 2; 45, 13; 49, 15; 55, 3; 78, 13; 82, 6; 112, 21. IV. 12, 7; 20, 14; 32, 4; 34, 4; 40, 6; 41, 16; 73, 13; 96, 13; 120, 11. V. 31, 7; 33, 4; 66, 11; 103, 4. VIII. 32, 5; 48, 13; 61, 13; 62, 1; 76, 12.

Adn.: Locum, qui est I. 10, 11 (*ὅμως δὲ, οὔτε ξυνοικισθείσης πόλεως οὔτε ἱεροῖς καὶ κατασκευαῖς πολυτελέσι χρησαμένης, κατὰ κώμας δὲ... οἰκισθείσης, φαίνοιτ' ἂν ὑποδεεστέρα*) huc referendum esse Class. minus recte docere videtur. Hoc sane Classenio concedendum est, grammaticam rationem per se non obstare, quominus adjectivum *ὑποδεεστέρα* ad subst. *πόλις* referatur. Quod vero dicit, verbum *φαίνεσθαι* (= ans Licht treten) referri non facile posse ad *δύναμις*, cujus notio nisi cogitatione erui non possit, non ita grave esse hoc argumentum puto, quum, etiamsi *ὑποδεεστέρα* ad *πόλις* referre velimus, procul dubio accusativus relationis *τὴν δύναμιν* ex iis, quae antecedunt, supplendus sit (*πόλις τὴν δύναμιν φαίνοιτ' ἂν ὑποδεεστέρα*) ideoque verbum *φαίνεσθαι* ad notionem *δύναμις* pertineat. Ut autem adj. *ὑποδεεστέρα* ad *δύναμις* referamus, totius loci contextu admonemur. Thuc. enim demonstrare studet, ex deletarum urbium reliquiis earum opes non posse satis certo cognosci (*πολλὴν δ' ἂν οἶμαι ἀπιστίαν τῆς δυνάμεως εἶναι*); notionem igitur, quae est *δύναμις*, logicum hujus enuntiati subjectum esse apparet. Similiter in enuntiato, quod sequitur, *Ἀθηναίων δὲ τὸ αὐτὸ παθόντων διπλασίαν ἂν τὴν δύναμιν εἰκάζεσθαι...*,

subjectum est *δύναμις*. Quid igitur est, quod in enuntiato medio *ὅμως δὲ... φαίνοιτ' ἂν ὑποδεεστέρα* ad aliud subjectum scriptorem transire putemus? Quum vero codicum lectio *ὑποδεεστέρα* hoc modo explicata aptum praebeat sensum, non est, cur cum Bauro *ὑποδεέστερα* scribamus.

Commemoranda sunt denique aliqua genitivi absoluti exempla, ubi nos enuntiata relativa potius exspectamus:

I. 89, 10: *Σηστὸν ἐπολιόρκουν Μήδων ἐχόντων.* 94, 6; 98, 1; 103, 10. IV. 52, 11. V. 1, 8; 4, 1; 39, 2; 46, 34. VII. 2, 8. VIII. 60, 2.

§ 19.

De accusativo absoluto.

Impersonalium etiam verborum participia interdum a Thuc. in genitivo absoluto poni, exemplis supra allatis illustravimus. Plerumque tamen quoties impersonalium verborum participia (quo etiam referenda sunt adjectiva neutrius generis cum participio *ὄν* conjuncta) absolute ponenda sunt, Thuc. accusativo utitur. Hujusmodi loci, qui apud Thuc. inveniuntur, hi sunt. I. 2, 8; *ἄδηλον ὄν* — 2, 24: *ὡς βέβαιον ὄν* — 28, 4: *ὡς οὐ μετὸν αὐτοῖς Ἐπιδάμνου* — 76, 14: *παρατυχόν* — 120, 18: *εὖ παρασχόν* — 124, 1: *πανταχόθεν καλῶς ὑπάρχον.* — 125. 5: *δεδογμένον* — 140, 14: *εἰρημένον.* II. 35, 2: *ὡς καλὸν* (sc. *ὄν*) — 47, 19: *λεγόμενον* — 89, 6: *ὡς προσῆκον σφίσιν.* — III. 40, 20: *οὐ χρεών* — 63, 6: *ὑπάρχον γε ὑμῖν* — 94, 15: (*ὡς καλόν*) — 96, 3: *χρησθὲν αὐτῷ.* — IV. 17, 6: *ἐπιχώριον ὂν ἡμῖν* — 18, 21: *ἐξόν* — (65, 13); 19, 11: *παρόν.* 95, 4: *οὐ προσῆκον* — 125, 3 et 5: *δοκοῦν... κυρωθὲν δὲ οὐδέν.* — 133, 3: *παρεστηκὸς δὲ ῥᾷον.* — V. 14, 11: *καλῶς παρασχόν.* — 30, 9 et 39, 12: *εἰρημένον.* — 65, 5: *γεγραμμένον.* — 60, 11: *παρατυχόν.* 25: *μὴ ἂν σφίσι ποτὲ κάλλιον παρασχόν.* 63, 3: *παρασχὸν καλῶς.* — 103, 7: *παρόν.* — VI. 82, 10 et 84, 1: *οὐδὲν προσῆκον.* — VII. 18, 14: *εἰρημένον.* 44, 19: *ἀδύνατον ὄν.* — 15, 17: *ὡς δέον.* — VIII. 48, 29: *ἐξόν.* — 79, 2: *δόξαν.* — 93, 7: *δόξαν αὐτοῖς.* — 96, 7: *ἄδηλον ὄν.*

Fuerunt, qui hujusmodi breves formulas non accusativos, sed nominativos esse judicandos dicerent. Rectius autem ac-

cusativos esse judicandos, inde potissimum apparet, quod etiam, licet non ita frequenter, personalium verborum participia in accusativo absoluto ponuntur.

I. 134, 21: *ὡς ἄγος αὐτοῖς ὂν τὸ πεπραγμένον*. IV. 5, 2: *οἱ δὲ ἐν ὀλιγωρίᾳ ἐποιοῦντο, ὡς, ὅταν ἐξέλθωσιν, ἢ οὐχ ὑπομενοῦντας σφᾶς ἢ ῥᾳδίως ληψόμενοι βίᾳ*. III. 53, 10. IV. 125, 5. V. 65, 10. VI, 24, 9. VII. 31, 19.

§ 20.

De dativo participii pauca adnotare sufficiet, quia hujusmodi exempla ex ipsa dativi natura atque ex eis, quae supra § 5 de participiis sine articulo substantive dictis et § 4 de participiis praedicative positis disserui, facile explicantur.

I. 24, 1: *Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι ἐς τὸν Ἰόνιον κόλπον* = für einen, der — si quis. Cf. Gaditanum fretum intranti dextra Africa est, laeva Europa (Plin.), quem locum affert Berger (lat. Gr. pag. 161). Cf. II. 96, 4. V. 10, 28.

I. 10, 5: *πρὸς τὰς μεγίστας δ' οὖν καὶ ἐλαχίστας ναῦς τὸ μέσον σκοποῦντι οὐ πολλοὶ φαίνονται ἐλθόντες* = medium aestimanti non multi videntur venisse. — Cf. Tac. Germ. 6: In universum aestimanti apud Germanos plus penes peditem roboris est. I. 21, 12; 139, 6. II. 49, 5; 51, 1; 62, 22. IV. 62, 1; 9, 20; 10, 11; 92, 38. V. 46, 21.

I. 125, 7: *ὅμως δὲ καθισταμένοις* (sc. *αὐτοῖς*) *ὧν ἔδει ἐνιαυτὸς μὲν οὐ διετρίβη* = comparantibus eis (dum comparant) annus non est dilapsus.

III. 29, 2: *ἡμέραι ἦσαν τῇ Μυτιλήνῃ ἑαλωκυίᾳ ἑπτὰ ὅτε κατέπλευσεν* = für Mytilene, als es eingenommen war — dies post captam Mytilenen septem erant. Cf. III. 44, 10. IV. 56, 1. V. 20, 9. VIII. 24, 32; 37, 14.

Neque in his, qui sequuntur, locis aliud habemus quam dativum cum participio praedicative dicto conjunctum.

II. 3, 9: *τῷ πλήθει οὐ βουλομένῳ ἦν ἀφίστασθαι* = deficere nolebat (Das Abfallen hatte das Volk als ein nicht wollendes).

II. 60, 1. III. 44, 10. V. 80, 7: 85, 13. VI. 46, 9. VII. 35, 8. VIII. 37, 14; 92, 34.

Cf. Tac. Hist. 3, 43: Ceteris remanere volentibus erat. Ann. 1, 59: ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat. Sall. Jug. 84, 3: neque plebi militia volenti putabatur.

IV. De participii temporibus.

§ 21.

De singulis participii temporibus — is enim erat quartus disputationis nostrae locus — pauca sunt, quae adnotentur.

Ac primum quidem participium praesentis non ita apte et ad praesens et ad imperfectum significandum poni dicitur, quum rectius doceatur, participio praes. actionem nondum perfectam, sed se explicantem, non autem proprie certum aliquod actionis tempus significari itaque vel ex tempore atque significatione verbi finiti vel ex addito aliquo adverbio vel ex toto loci contextu ac sensu judicandum esse, utrum de praeterito an de praesenti an etiam de futuro tempore participium praesentis accipiendum sit.

Exemplis rem illustremus.

I. 2, 25: *καὶ πολῖται γιγνόμενοι εὐθὺς ἀπὸ παλαιοῦ μείζω ἔτι ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώπων τὴν πόλιν.* Participio exponitur, quomodo factum sit, ut urbs hominum multitudine augeretur, nempe ita, ut exules, qui antea commemorati sunt, iterum atque iterum acciperent civitatem. Participio ipso de tempore nihil indicatur; sed ex verbis *ἀπὸ παλαιοῦ* et aoristo *ἐποίησαν* de tempore praeterito sermonem esse participiumque praesentis pro imperfecto positum esse intelligimus.

Cf. I. 5, 5. — I. 2, 1: *φαίνεται ἡ νῦν Ἑλλὰς καλουμένη οὐ πάλαι βεβαίως οἰκουμένη, ἀλλὰ μεταναστάσεις τε οὖσαι τὰ πρότερα καὶ ῥᾳδίως ἕκαστοι τὴν ἑαυτῶν ἀπολείποντες, βιαζόμενοι ὑπό τινων ἀεὶ πλειόνων.* Participia, quamvis praesens *φαίνεται* praecedat, ad tempus praeteritum referenda esse, adverbiis *πάλαι* et *τὰ πρότερα* indicatur. Cf. I. 5, 14. IV. 18, 3.

III. 18, 2: *ἐπὶ Μήθυμναν ὡς προδιδομένην ἐστράτευσαν.* Proditio nondum facta erat, sed parari eam ac futuram esse credebant.

VI. 88, 60: *διανοουμένων τῶν ἐφόρων... πρέσβεις πέμπειν... κωλύοντας* = quum ephori legatos mittere intenderent, qui impedirent. Atque ita haud ita raro post verbum *πέμπειν* participium praesentis de tempore futuro dicitur. Cf. VII. 3, 4; 25, 40 et alios locos.

Notanda sunt praesertim participia *τὰ γιγνόμενα, τὰ πρασσόμενα* atque ea, quae Class. VIII. 63, 16 affert: *οἱ ἐπαγόμενοι* (II. 2, 22), *οἱ πράσσοντες* (IV. 110, 12), *οἱ προδιδόντες* (II. 5, 32), *οἱ διαβάλλοντες* (III. 4, 13), praeterea VIII. 86, 8: *τοὺς τὸν δῆμον καταλύοντας*, VIII, 63, 7: *οἱ κοινολογούμενοι*, quae omnia non de certo aliquo tempore dicuntur, sed constantem quandam substantivorum similem vim habent.

P a r t i c i p i o   p e r f e c t i eodem modo significatur actio completa, absoluta, perfecta neque ipso participio saepe, sed tempore verbi finiti vel loci sensu atque contextu indicatur, de tempore jam antea elapso esse sermonem participiumque perfecti pro plusquamperfecto positum esse.

I. 26, 7: *Κερκυραῖοι, ἐπειδὴ ᾔσθοντο τούς τε οἰκήτορας καὶ φρουροὺς ἥκοντας τήν τε ἀποικίαν Κορινθίοις δεδομένην, ἐχαλέπαινον.* — 59, 7; 60, 2. III. 70, 4; 90, 12; 94, 16. IV. 66, 22: *ῥᾷον δ' ἤδη ἔμελλον προσχωρήσειν τούτου γεγενημένου.* Satis dilucide hoc loco demonstratur, participium perfecti respondere posse futuro tertio (exacto apud Latinos), si verbum finitum in futuro positum sit.

P a r t i c i p i u m   f u t u r i aeque atque indicativus actionem futuram significat, unde facillime consilii atque finis vim prodire quis est quin intelligat? Hanc autem consilii atque finis significationem in participio futuri inesse praesertim post verba, quae sunt *ἥκειν, ἔρχεσθαι, πέμπειν, ἀποστέλλειν, παρασκευάζεσθαι*, alia permultis locis comprobatur.

I. 32, 3: *δίκαιον τοὺς ἥκοντας παρὰ τοὺς πέλας ἐπικουρίας δεησομένους...* — 33, 15 (*παραγίγνεσθαι*); 73, 4 (*παρέρχεσθαι*). II. 15, 5 (*ξυνιέναι*). III. 25, 8 (*προαποπέμ-*

πειν). 113, 3 (ἔρχεσθαι). — V. 8, 8 (παρασκευάζεσθαι). V. 46, 12 (πέμπειν).

V. 8, 8: τέχνῃ δὲ παρεσκευάζετο ἐπιθησόμενος.

VII. 17, 11: παρεσκευάζοντο ἀποστελοῦντες ὁπλίτας. — VIII. 59, 2: παρεσκευάζετο Τισσαφέρνης τάς τε Φοινίσσας ναῦς ἄξων.

His locis satis dilucide demonstratur, participii fut. cum verbo παρασκευάζεσθαι conjuncti proprium hoc esse, ut id ipsum significet, quod paratur, quare hoc verbum inter ea supra relatum est, quae notionis complendae causa in casu subjecti participium sibi adjungunt.

Participio praesertim futuri articulo addito saepe eas personas vel res significari, quae ad eam conditionem, de qua sermo est, praecipue pertineant aptaeque ac necessariae sint, jam supra § 5 demonstratum est.

Particulam denique, quae est ὡς, saepissime participio futuri ad significandum consilium atque finem adjungi, § 15 exemplis illustratum est.

De participio aoristi haec habeo, quae adnotem.

Participio aoristi actio significatur, quae aliquo temporis praeteriti momento facta est, atque hoc plerumque ita fit, ut participio aoristi exprimatur actio, quae actioni verbo finito expressae tempore antecedat. I. 29, 14: τὰς ναῦς ἅμα ἐπλήρουν, ζεύξαντές τε τὰς παλαιὰς καὶ τὰς ἄλλας ἐπισκευάσαντες.

Quodsi verbo finito actio futura exprimitur, partic. aor. idem valere atque fut. exactum apud Latinos et conjunctivo aor. cum part. ἐάν conjuncto respondere manifestum est.

I. 33, 4: κινδυνεύοντας δεξάμενοι... τὴν χάριν καταθήσεσθε (si receperitis — ἐὰν δέξησθε). 35, 9 et 10; 143, 25.

Saepe tamen partic. aor. quum indicativo aor. adjungitur, eam actionem significat, quae eodem tempore, quo actio verbo finito expressa, facta est, atque, quo modo vel quibus instrumentis auxiliisque actio verbi fin. confecta sit, exponit.

I. 63, 6: παρῆλθε παρὰ τὴν χηλὴν διὰ τῆς θαλλάσσης βαλλόμενός τε καὶ χαλεπῶς, ὀλίγους μέν τινας ἀποβαλών, τοὺς δὲ πλείους σώσας. 4, 4; 41, 5. — 108, 13: ὁμολόγη-

σαν Αἰγινῆται τοῖς Ἀθηναίοις τείχη τε περιελόντες καὶ ναῦς παραδόντες φόρον τε ταξάμενοι ... 101, 12; 117, 14. IV. 72, 22; 112, 13. V. 28, 14. VIII. 31, 16 et alibi passim.

Excipiendi sunt aliquot loci, ubi nobis actio participii et verbi fin. eodem tempore fieri videtur, accuratius vero inspicientibus apparet, participio aor. quemadmodum etiam indicativo haud raro alicujus conditionis vel actionis initium significari ideoque participio re vera actionem verbi fin. actioni tempore antecedentem exprimi.

I. 12, 2: *ὥστε μὴ ἡσυχάσασαν* (sc. *τὴν Ἑλλάδα*) *αὐξηθῆναι* = ita ut Graecia non, quietem adepta, augeretur. — 124, 10 (*νομίσαντες... ψηφίσασθε τὸν πόλεμον, μὴ φοβηθέντες... ἐπιθυμήσαντες*). — III. 20, 10 (*ἀπώκνησαν... ἡγησάμενοι*) — V. 116, 1: *Λακεδαιμόνιοι μελλήσαντες ἐς τὴν Ἀργείαν στρατεύειν* (Class.: nachdem sie alles für den Zug in Bereitschaft gesetzt hatten)... *ἀνεχώρησαν*.

V. Adjiciuntur aliqua de participiorum usus proprietatibus additamenta.

§ 22.

De omissione participii.

Primum hoc loco notandum est, aliquot verba, quae notionis complendae causa participium sibi adjungere supra expositum est, etiam cum adjectivis non addito participio posse construi atque minus recte doceri, in his locis participium, quod est *ὤν*, omitti.

Haec verba sunt

1) *τυγχάνειν*: I. 32, 9: *τετύχηκε τὸ αὐτὸ ἐπιτήδευμα... ἄλογον καὶ ἀξύμφορον*... 106, 4. II. 87, 23. V. 20, 10. Cf. Class. ad. I. 32, 9.

2) *ὁρᾶν*: III. 16, 10: *ὁρῶντες πολὺν τὸν παράλογον*. II. 45, 2. III. 82, 47. IV. 24, 7. VI. 51, 8. VIII. 16, 7; 66, 7.

3) *ἐπίστασθαι*: II. 44, 3.

4) *ἀποφαίνειν*: III. 94, 21.

5) *εἰδέναι:* IV. 53, 9.
6) *διατελεῖν:* I. 34, 10. VI. 89, 6.
7) *ξυμβαίνειν:* V. 92. VI. 34, 6.
8) *φαίνεσθαι:* I. 10, 13, 21. II. 11, 8; 20, 10. III. 11, 12; 21, 7; 37, 19 et alibi passim.

Vere omissum est participium II. 35, 2: *ὡς καλόν.* III. 94, 15: *ὡς καλὸν αὐτῷ.*

Quum adjectivum juxta participium ponitur, copulae notio, quae in participio inest, etiam ad adjectivum pertinere videtur ideoque interdum omittitur.

III. 82, 6: *καὶ ἐν μὲν εἰρήνῃ οὐκ ἂν ἐχόντων πρόφασιν οὐδ' ἑτοίμων παρακαλεῖν αὐτούς* ...

Sed etiamsi grammatica ratio obstare non videatur, quominus copulae notionem, quae in participio *ἐχόντων* inest, ad *ἑτοίμων* referamus, obscurus tamen loci sensus manet, quare homines docti vario modo locum corrigere conati sunt. Cf. de his conjecturis Classenii criticam adnotationem ad h. l.

III. 112, 10, 21. IV. 32, 2.

III. 69, 4: *αἱ νῆες... ὡς τότε φεύγουσαι διὰ τοῦ πελάγους ἔκ τε τῶν Ἀθηναίων ἐπιδιωχθεῖσαι καὶ πρὸς τῇ Κρήτῃ χειμασθεῖσαι (καὶ) ἀπ' αὐτῆς σποράδες πρὸς τὴν Πελοπόννησον κατηνέχθησαν* ... particulam *καί* Class. et. Stahl. delendam esse recte videntur dicere itaque hunc locum ad hanc regulam pertinere Kuehnerus gr. gr. § 491 non recte censet.

Adjectiva *ἄκων* et *ἑκών* post Homerum pro participiis esse itaque copula *ὤν* carere recte docet Kuehnerus § 491.

I. 96, 2: *ἑκόντων τῶν ξυμμάχων.* —

II. 90, 13: *ἄκων καὶ κατὰ σπουδὴν ἐμβιβάσας.* VIII. 3, 7.

Facile participia ex contextu supplentur in his locis:

III. 16, 9: *ἀνεχώρησαν... ἐπεὶ καὶ ἐκείνους εἶδον* (sc. *ἀνακεχωρηκότας*). II. 78, 10; 80, 2. II. 11, 34; 86, 14 (cf. Class. ad hos locos). III. 47, 14: *τοῖς τε ἀδικοῦσιν ὁμοίως κεῖσθαι καὶ τοῖς μή.* — Cf. VI. 35, 3. VII. 15, 15.

Verbum *τυγχάνειν* interdum sine participio ponitur ad exprimendam fortuiti notionem. Recte Class. ad I. 142, 25 adnotat, esse quidem, si hujus locutionis originem inquiramus, aliquod participium ex contextu supplendum, hoc tamen jam

non sentiri a scriptoribus. Ibi hujus detractionis haec affert exempla: I. 142, 25: *οὐκ ἐνδέχεται, ὅταν τύχῃ, ἐκ παρέργου μελετᾶσθαι.*

III. 43, 17. IV. 26, 20; 25, 7. V. 20, 10; 56, 15. VIII. 48, 37; 95, 21.

§ 23.

De negationum apud participia usu.

Inter particulas *οὐ* et *μή* Godofredus Hermanus (ad Vigerum 804) eam docet intercedere rationem ut particula *οὐ* neget rem, *μή* cogitationem rei. Eaudem autem rationem his particulis etiam apud participia necessario manere manifestum est. Neque tamen negligendum est illud, quod Hermanus Sauppe in schola de syntaxi Graeca nos docuit, inveniri in negationum usu haud pauca, quae neglecta illa generali regula ipso usu subintroducta quasi ac stabilita sint.

His praemissis de negationum apud participia usu apud Thuc. haec fere statuenda esse videntur.

Ad exprimendam negationem apud participia part. *μή* adhibetur

1) quoties participium conditionem exprimit vel enuntiato conditionali insertum est. I. 35, 10: *ἐν πλείονι αἰτίᾳ ἡμεῖς μὴ πείσαντες ὑμᾶς ἕξομεν.* I. 38, 9; 41, 7, 9; 73, 18; 143, 28. II, 39, 4 etc. — I. 35, 1: *λύσετε δὲ οὐδὲ τὰς Λακεδαιμονίων σπονδὰς δεχόμενοι ἡμᾶς μηδετέρων ὄντας ξυμμάχους* (cf. Class. ad h. l.) II. 83, 24. III. 46, 5; 59, 4. IV. 87, 6. VIII. 74, 16.

2) quoties participium articulo substantive dictum generale quoddam genus significat; in his enim participiis cum particula *μή* conjunctis conditionalis quaedam vis inest.

I. 71, 22: *λύουσι γὰρ σπονδὰς οὐχ οἱ δι' ἐρημίαν ἄλλοις προσιόντες, ἀλλ' οἱ μὴ βοηθοῦντες οἷς ἂν ξυνομόσωσι* = violant enim foedera non ii, qui propter solitudinem aliis se adjungunt, sed s i q u i non auxiliantur eis, quibuscum jure jurando se conjunxerunt. 104, 11; 120, 8.

II. 40, 17; 43, 20. II. 60, 19: *ὅτι γὰρ γνοὺς καὶ μὴ*

σαφῶς διδάξας ἐν ἴσῳ καὶ εἰ μὴ ἐνεθυμήθη. — I. 142, 22: *ἐν τῷ μὴ μελετῶντι.*

III. 39, 29: *τὸ μὴ ὑπεῖκον.* IV. 87, 18; V. 22, 2. VIII. 2, 3 et alibi passim.

3) Particula *μή*, quum imperativi sit negatio, apud participium invenitur, quoties imperativum habet sensum sive ab imperativo aliove ejusdem significationis vocabulo pendet.

I. 124, 11: *ψηφίσασθε τὸν πόλεμον, μὴ φοβηθέντες τὸ αὐτίκα δεινόν.* II. 87, 31. III. 40, 34.

I. 82, 4: *κελεύω πέμπειν καὶ αἰτιᾶσθαι μήτε πόλεμον ἄγαν δηλοῦντας μηθ' ὡς ἐπιτρέψομεν.* ibidem 9: *ἀνεπίφθονον μὴ Ἕλληνας μόνον, ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας διασωθῆναι.* — III. 42, 24; 39, 27; 37, 27 (his locis *μή* positum est propter vocem *χρή*, quae praecedit).

4) Saepe particula *μή* ob eam solam rationem posita est, quia notio participio expressa tantummodo c o g i t a t u r.

I. 74, 27: *οὐδὲν ἂν ἔτι ἔδει ὑμᾶς μὴ ἔχοντας ναῦς ἱκανὰς ναυμαχεῖν.* 76, 4: *εὖ ἴσμεν μὴ ἂν ἧσσον ὑμᾶς λυπηροὺς γενομένους...*

II. 2, 20: *ἐβούλοντο τὴν Πλάταιαν ἔτι ἐν εἰρήνῃ τε καὶ τοῦ πολέμου μήπω φανεροῦ καθεστῶτος προκαταλαβεῖν* (cf. Class. ad h. l.). II. 17, 15, IV. 10, 12; 13; 73, 14. V. 60, 25.

Quum particula *μή* cogitationem rei neget, mirum est, usum invaluisse, ut participium cum particula *ὡς* conjunctum semper fere particulam *οὐ* sibi adjungat. Ut autem intelligamus, cur fieri possit, in particula *ὡς* nativam comparationis vim inesse recordari debemus, ita ut participium cum particula *ὡς* conjunctum in enuntiationem comparativam solvi possit. Comparativae autem enuntiationes negationem quae est *οὐ* requirunt, quia, si rem accurate consideramus, res, non rerum cogitationes negantur.

III. 4, 15: *ὡς σφῶν οὐδὲν νεωτεριούντων.*

33, 5: *ἔπλει διὰ τοῦ πελάγους ὡς γῇ ἀκούσιος οὐ σχήσων.* III. 27, 21. I. 28, 4.

μή invenitur I. 120, 12: (*χρὴ*) *τῶν νῦν λεγομένων μὴ κακοὺς κριτὰς ὡς μὴ προσηκόντων εἶναι* (*μή* propter impera-

tivum enuntiationis sensum positum esse videtur). Similiter VII. 15, 2 et 77, 35 *μή* legitur propter imperativum in enuntiato primario positum.

Apud participium, quod causam agendi objectivam significat, particulam *οὐ* expectamus. In his tamen locis apud Thuc. *μή* invenitur:

I. 77, 10: *οὐ τοῦ πλέονος μὴ στερισκόμενοι χάριν ἔχουσιν.* I. 86, 12: *οὐδὲ δίκαις καὶ λόγοις διακριτέα μὴ λόγῳ καὶ αὐτοὺς βλαπτομένους.* I. 118, 10: *οἱ Λακεδαιμόνιοι ἡσύχαζόν τε τὸ πλέον τοῦ χρόνου, ὄντες μὲν καὶ πρὸ τοῦ μὴ ταχεῖς ἰέναι ἐς τοὺς πολεμίους, εἰ μὴ ἀναγκάζοιντο.* Quae interpretes ad explicandam particulam *μή* afferunt, subtiliora magis esse quam veriora videntur (cf. Class. Poppo, Krueg.). Equidem nescio an solo vocabulorum sonu (*πρὸ τοῦ οὐ ταχεῖς*) adductus Thucydides *μή* scripserit. Poterat autem *μή* dici, quum ea, quae sunt, etiam ut cogitata exprimi possint vel quum, ut aliis verbis utar, idem valeat, aliquid negativum de aliquo subjecto praedicare (*οὐ ταχεῖς*) et monere, ne aliquid positivum de eo cogites (*μὴ ταχεῖς*) — cf. nostrum „nicht-schnell waren sie auch früher" et „schnell waren sie auch früher nicht etwa". — VIII. 68, 28.

V. 17, 2: *νομίζων ἐν εἰρήνῃ μέν, οὐδενὸς σφάλματος γιγνομένου, καὶ ἅμα τῶν Λακεδαιμονίων τοὺς ἄνδρας κομιζομένων κἂν αὐτὸς τοῖς ἐχθροῖς ἀνεπίληπτος εἶναι.* Aptissime hoc loco *μή* poni potuisset; sed mentem scriptoris bene Poppo-Stahlius exprimit, enuntiatum ita solvens: *εἰ εἰρήνη εἴη, ἐν ᾗ οὐδὲν σφάλμα γίγνεται.*

Restat, ut unam negationem ante participium positam non solum ad participium, sed ad totam enuntiationem pertinere posse adnotemus.

I. 12, 2: *ἡ Ἑλλὰς ἔτι μετανίστατο, ὥστε μὴ ἡσυχάσασαν αὐξηθῆναι* (ut non, quietem adepta, augeri posset). IV. 126, 24. V. 115, 6.

§ 24.

De compluribus participiis cum uno verbo finito conjunctis.

1) Supra § 14 expositum est, actionem verbo finito ex-

pressam participio vario modo accuratius definiri atque circumscribi, unde patet, complura participia eidem verbo finito posse adjungi. Quae participia si ejusdem sunt generis, plerumque conjunctionibus vel copulativis vel adversativis inter se copulantur, non solum si in eodem, sed etiam, si in diverso casu posita sunt.

I. 101, 11: *Θάσιοι δὲ τρίτῳ ἔτει πολιορκούμενοι ὡμολόγησαν Ἀθηναίοις τεῖχός τε καθελόντες καὶ ναῦς παραδόντες, χρήματά τε ὅσα ἔδει ἀποδοῦναι αὐτίκα ταξάμενοι καὶ τὸ λοιπὸν φέρειν, τήν τε ἤπειρον καὶ τὸ μέταλλον ἀφέντες.* — 117, 16 (*τε — καὶ — καὶ — καὶ*). II. 7, 4 (*τε — τε*). VI. 83, 1 (*ἅμα — ἅμα*). VI. 92, 2 (*μὲν — δὲ*). I. 124, 1: *ὥστε πανταχόθεν καλῶς ὑπάρχον ὑμῖν πολεμεῖν καὶ ἡμῶν τάδε κοινῇ παραινούντων ... μὴ μέλλετε.* — II. 59, 4: *τὸν Περικλέα ἐν αἰτίᾳ εἶχον ὡς πείσαντα σφᾶς πολεμεῖν καὶ δι' ἐκεῖνον ταῖς ξυμφοραῖς περιπεπτωκότες.* — III. 53, 9; 55, 5; 66, 12. V. 60, 11. VII. 47, 4.

Ita etiam saepe participia conjuncta et absoluta conjunctionibus copulativis inter se conjunguntur.

VI. 93, 4: *ἐπεῤῥώσθησαν διδάξαντος ταῦτα ἕκαστα αὐτοῦ καὶ νομίσαντες παρὰ τοῦ σαφέστατα εἰδότος ἀκηκοέναι.* — I. 2, 4; 9, 15; 65, 2; 67, 2. II. 25, 5; 28, 3. IV. 6, 5; 8, 18 etc.

2) Diversi quoque generis participia oonjunctionibus copulativis interdum copulantur.

I. 26, 17: *στρατεύουσιν ἐπ' αὐτοὺς οἱ Κερκυραῖοι ... μετὰ τῶν φυγάδων ὡς κατάξοντες καὶ τοὺς Ἰλλυρίους προσλαβόντες.*

IV. 32, 1. V. 32, 5, VII. 53, 19.

Mirum est, interdum duo participia, quorum alterum ab altero pendet, conjunctionibus copulativis inter se conjungi, quem usum Hermannus Sauppe accuratius explicavit in ann. phil. et paed. 1832 VI. 63, ubi ejusmodi participia particula *καί* copulari docet, si neglecta quodammodo ea ratione, quae inter haec participia intercedat, actiones participio expressas separatas quasi inter se atque singulas per se solas cogitemus atque exprimamus. Sin vero rationem eam, quae inter

participia intercedat, exprimere atque alterum participium ab altero pendere indicare velimus, particulam *καί* omittendam esse.

I. 1, 3: *ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου καὶ ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι* ... ubi participio *ἐλπίσας* causa *τοῦ ἄρξασθαι* indicatur. 109, 14. II. 76, 5. III. 111, 12. IV. 51, 2: 97, 6. V. 8, 4. VI. 51, 2; 52, 5; 93, 4. VIII. 7, 2; 66, 7; 68, 18. I. 1, 4: *ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγνημένων, τεκμαιρόμενος ὅτι* ... ubi participio *τεκμαιρόμενος* causa *τοῦ ἐλπίσαι* indicatur.

I. 2, 3; 31, 5; 18, 19; 25, 17; 33, 20 (ubi recte Stahlius particulam *καί* delendam esse docet): 50, 16; 52, 6 et alibi passim. Notandum est, multo saepius talia participia particula *καί* carere.

Particulam *καί* omittendam esse, quoties alterum participium praedicative cum altero conjungatur, manifestum est.

I. 39, 1: *καὶ φασὶ δὴ δίκῃ πρότερον ἐθελῆσαι κρίνεσθαι, ἥν γε οὐ τὸν προύχοντα καὶ ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς προκαλούμενον λέγειν τι δοκεῖν δεῖ.* II. 5, 9; *ἤδη τῶν ἀνδρῶν τῶν μὲν διεφθαρμένων, τῶν δὲ ζώντων ἐχομένων.*

Diversi generis participia, etiamsi interdum particula *καί* copulentur, plerumque tamen conjunctione carent.

I. 9, 7: *λέγουσι* ... *Πέλοπα* ... *δύναμιν περιποιησάμενον τὴν ἐπωνυμίαν τῆς χώρας ἔπηλυν ὄντα ὅμως σχεῖν.* I. 29, 3, 4, 6; 31, 12; 107, 8. III. 16, 1—3; 65, 12. VI. 99, 14. VII. 53, 1. VIII. 15, 10; 90, 15.

3) Conjunctiones locum non habent, quoties alterum participium verbo finito praecedit, alterum sequitur.

I. 113, 6: *καὶ Χαιρώνειαν ἑλόντες [καὶ ἀνδραποδίσαντες] ἀπεχώρουν φυλακὴν καταστήσαντες.* 126, 24; 133, 2. II. 21, 5; 47, 17; 90, 4. III. 53, 2; 92, 5. VII. 9, 4 et alibi passim.

Conjunctio omittitur, si alterum participium propius ad verbum finitum accedit vel unam fere notionem cum eo constituit vel si duo participia ita inter se cohaerent, ut unam fere notionem constituant.

I. 115, 7: *οἱ Μιλήσιοι ἐλασσούμενοι τῷ πολέμῳ παρ' Ἀθηναίους ἐλθόντες κατεβόων τῶν Σαμίων.* III. 25, 1: *καὶ*

πλεύσας ἐς Πύρραν . . . διαλαθὼν ἐσέρχεται. — III. 76, 6: *λαβόντες ἐγχειρίδια ἐξαπιναίως ἐς τὴν βουλὴν ἐσελθόντες τόν τε Πειθίαν κτείνουσι κτλ.* — IV. 123, 3: *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι εὐθὺς πυθόμενοι πολλῷ ἔτι μᾶλλον ὀργισθέντες, παρεσκευάζοντο.*

Plura praeter haec exempla invenies apud Titum Wilde, de coacervatis participiis apud Thuc., imprimis iis, quae asyndeta vocantur. Goerlitii 1862 pag. 9—14.

Non raro denique complura ejusdem generis participia verbo finito adjunguntur aut nulla interposita conjunctione aut ita, ut alia participia conjunctionibus copulentur, alia conjunctione careant. Conferatur Titus Wilde, qui l. c. pag. 15 sqq. accuratius hanc rem explicavit.

I. 9, 19: *ἅ μοι δοκεῖ Ἀγαμέμνων παραλαβὼν καὶ ναυτικῷ τε ἅμα ἐπὶ πλέον τῶν ἄλλων ἰσχύσας τὴν στρατείαν οὐ χάριτι τὸ πλέον ἢ φόβῳ ξυναγαγὼν ποιήσασθαι.*

I. 29, 3: *Κορίνθιοι . . . προπέμψαντες κήρυκα πρότερον πόλεμον προεροῦντα Κερκυραίοις, ἄραντες ἔπλεον.* — I. 49, 18. III. 3, 21; 85, 12. VIII. 62, 4; 100, 18; 101, 10; 108, 22 et plura exempla apud Titum Wilde.

§ 25.

De structurae quadam disparilitate.

Consideranda est hac § disparilitas quaedam structurae, qua Thuc. saepe ita utitur, ut participia aliis vocabulis respondeant, et quidem

1) participia substantivis respondent:

I. 60, 5: *πέμπουσιν ἑαυτῶν τε ἐθελοντὰς καὶ τῶν ἄλλων Πελοποννησίων μισθῷ πείσαντες ἑξακοσίους ὁπλίτας . . .* II. 68, 2.

IV. 36, 17: *ἀμφίβολοι ἤδη ὄντες οὐκέτι ἀντεῖχον, ἀλλὰ πολλοῖς τε ὀλίγοι μαχόμενοι καὶ ἀσθενείᾳ σωμάτων διὰ τὴν σιτοδείαν ὑπεχώρουν.* IV. 48, 14; 69, 16; 126, 15. VII. 20, 10.

2) Participia substantivis cum praepositione conjunctis respondent.

IV. 24, 19: *διὰ στενότητα καὶ ἐκ μεγάλων πελαγῶν ἐσπίπτουσα ἡ θάλασσα ἐς αὐτὸ καὶ ῥοώδης οὖσα εἰκό-*

τως χαλεπὴ ἐνομίσθη. 26, 12; 56, 13; 83, 21; 114, 14. VII. 27, 27; 70, 26.

3) Participia verbo finito respondent atque ita anacoluthiam efficiunt.

III. 81, 18: *Κερκυραῖαι τοὺς ἐχθροὺς ἐφόνευον, τὴν μὲν αἰτίαν ἐπιφέροντες τοῖς τὸν δῆμον καταλύουσιν, ἀπέθανον δέ τινες καὶ ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα, καὶ ἄλλοι χρημάτων σφίσιν ὀφειλομένων.* I. 87, 8. II. 47, 9. III. 87, 2. VII. 4, 29; 18, 2; 47, 6. VIII. 5, 12; 81, 2.

4) Participium infinitivo respondet.

III. 94, 15: *Δημοσθένης δ' ἀναπείθεται ... ὡς καλὸν αὐτῷ ... Αἰτωλοῖς ἐπιθέσθαι, Ναυπάκτῳ τε πολεμίοις οὖσι καὶ ἢν κρατήσῃ αὐτῶν, ῥᾳδίως καὶ τὸ ἄλλο ἠπειρωτικὸν τὸ ταύτῃ Ἀθηναίοις προσποιήσειν.* — IV. 3, 17.

5) Insolentior est structurae disparilitas in his locis:

I. 1, 5: *τεκμαιρόμενος ὅτι ἀκμάζοντές τε ἦσαν ἐς αὐτὸν ἀμφότεροι παρασκευῇ τῇ πάσῃ καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ὁρῶν ξυνιστάμενον πρὸς ἑκατέρους ...*, ubi participium *ὁρῶν* enuntiato *ὅτι ... ἦσαν* respondet (cf. Class. ad h. l.).

III. 53, 9: *τεκμαιρόμενοι προκατηγορίας τε ἡμῶν οὐ προγεγενημένης ᾗ χρὴ ἀντειπεῖν ... τό τε ἐπερώτημα βραχὺ ὄν.* IV. 116, 1. VII. 18, 1; 14, 12.

§ 26.

De participio in enuntiatis relativis posito.

Miram sermonis brevitatem, quam vertendo imitari non possumus, efficiunt participia cum pronominibus relativis et interrogativis conjuncta.

I. 26, 13: *τάφους τε ἐπιδεικνύντες καὶ ξυγγένειαν, ἣν προϊσχόμενοι ἐδέοντο σφᾶς μὴ κατάγειν.* — 39, 2; 42, 6. II. 17, 14; 29, 20 et alibi. I. 70, 5: *ἡμῖν γε δοκεῖτε οὐδ' ἐκλογίσασθαι πώποτε πρὸς οἵους ὑμῖν Ἀθηναίους ὄντας καὶ ὅσον ὑμῶν καὶ ὡς πᾶν διαφέροντας ὁ ἀγὼν ἔσται.* 80, 15. — IV. 20, 10: *πολεμοῦνται μὲν γὰρ ἀσαφῶς ὁποτέρων ἀρξάντων.*

§ 27.

De aliquot locis per ellipsin explicandis.

I. 111, 5: *τῆς μὲν γῆς ἐκράτουν ὅσα μὴ προϊόντες πολὺ ἐκ τῶν ὅπλων* (sc. *ἐκράτησαν*).

IV. 6, 12: *φυλάσσειν δὲ καὶ τὴν νῆσον Ἀθηναίους μηδὲν ἧσσον, ὅσα μὴ ἀποβαίνοντας.*

V. 79, 11: *βουλεύεσθαι Λακεδαιμονίως καὶ Ἀργείως ὅπᾳ κα* (= *ὡς ἂν*) *δικαιότατα κρίναντας τοῖς ξυμμάχοις.* V. 47, 29: *ὅπλα δὲ μὴ ἐᾶν ἔχοντας διιέναι . . . ἢν μὴ ψηφισαμένων τῶν πόλεων ἁπασῶν τὴν δίοδον εἶναι.* — VI. 105, 9: *καὶ πολλάκις Ἀργείων κελευόντων ὅσον σχόντας μόνον ξὺν ὅπλοις ἐς τὴν Λακωνικὴν καὶ τὸ ἐλάχιστον μετὰ σφῶν δῃώσαντας ἀπελθεῖν οὐκ ἤθελον.*

Ad haec participia verbum finitum subaudiendum est, ita ut hae formulae, quae sunt *ὅσα μή, ὅπᾳ κα, ὅσον μόνον, ἢν μή,* diuturno usu stabilitae idem fere valeant atque particula *μόνον.*

VI. 31, 15: *ἀλλὰ ἐπί τε βραχεῖ πλῷ ὡρμήθησαν καὶ παρασκευῇ φαύλῃ· οὗτος δὲ ὁ στόλος ὡς χρόνιός τε ἐσόμενος καὶ κατ' ἀμφότερα . . . καὶ ναυσὶ καὶ πεζῷ ἅμα ἐξαρτυθείς, τὸ μὲν ναυτικὸν . . ἐκπονηθὲν . . . τὸ δὲ πεζὸν . . . ἐκκριθὲν καὶ ἁμιλληθέν.*

Hoc loco non anacoluthia statuenda, sed ex verbo *ὡρμήθησαν*, quod antecedit, *ὡρμήθη* subaudiendum est. Similiter verbum finitum ex eis, quae antecedunt, subaudiendum est ad participia *δείξας* (I, 87, 8), *εἰπών* (136, 18), *γράψας* (137, 27).

De I. 25, 15 dissentiunt homines docti: *ἅμα δὲ καὶ μίσει τῶν Κερκυραίων* (sc. *ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν*), *ὅτι αὐτῶν παρημέλουν ὄντες ἄποικοι: οὔτε γὰρ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα οὔτε προκαταρχόμενοι . . . περιφρονοῦντες δὲ . . . ναυτικῷ δὲ καὶ πολὺ προέχειν ἔστιν ὅτε ἐπαιρόμενοι . . .* Sunt, qui per anacoluthian participium pro verbo finitio positum esse dicant; minus recte, ut mihi videtur. Omissa enim particula *γάρ* non esset, in quo haereremus. Addi autem potest particula *γάρ*, sicut

etiam nos in tali structura voce, quae est „nämlich", uti possumus.

§ 28.

De pronominibus reflexivis cum participio conjunctis.

Compositis reflexivi pronominis formis ἑαυτοῦ sive αὑτοῦ ctt. — σφῶν αὐτῶν ctt.) scriptores Attici utuntur, quoties subjecto et pronomine ejusdem enuntiati eadem persona significatur, quare apud participia a Thucydide hae formae ponuntur, si pronomen ad personam participio expressam pertinet.

I. 54. 15: *ἀνελόμενοι τὰ κατὰ σφᾶς αὐτοὺς ναυάγια.* 67, 11: *ξύλλογον σφῶν αὐτῶν ποιήσαντες.* 86, 2: *ἐπαινέσαντες πολλὰ ἑαυτοὺς ἀντεῖπον.* 91, 19; 100, 10. II. 81, 8 et 17; 88, 3. III. 37, 23; 52, 22; 56, 20; 62, 19 et alibi passim.

I. 138, 35: *τὰ μὲν κατὰ Παυσανίαν καὶ Θεμιστοκλέα λαμπροτάτους γενομένους τῶν καθ' ἑαυτοὺς Ἑλλήνων οὕτως ἐτελεύτησεν.*

Notandum, in solo hoc loco reflexivum compositum pertinere ad participium in accusativo positum.

II. 42, 32: *καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμύνεσθαι καὶ παθεῖν μᾶλλον ἡγησάμενοι ἢ τὸ ἐνδόντες σώζεσθαι,* ubi Hermannus Sauppe levi mutatione loci difficultatem apte ita solvit, ut *καὶ ἑαυτῶν τὸ ἀμύνεσθαι . . . ἡγησάμενοι . . .* scriberet, quam conjecturam minus recte Classenius his verbis rejecit: „wobei ich den auf ἑαυτῶν fallenden starken Nachdruck nicht motiviert finde." Notum est enim, compositis reflexivi pronominis formis nullo modo personam praecipue efferri atque premi. Itaque Stahlius et Boehmius recte hanc conjecturam probaverunt.

Reflexivum simplex invenitur II. 65, 58: *καὶ οὐ πρότερον ἐνέδοσαν ἢ αὐτοὶ ἐν σφίσι κατὰ τὰς ἰδίας διαφορὰς περιπεσόντες ἐσφάλησαν,* ubi tamen, qnum corruptelam inesse homines docti suspicentur, non liquet, utrum ad participium an ad verbum finitum verba *ἐν σφίσι* referenda sint. Non recte

autem interpretes adnotant, more Jonico reflexivum simplex *ἐν σφίσι* hoc loco positum esse, quum *αὐτοὶ ἐν σφίσι* idem sit atque *ἐν σφίσιν αὐτοῖς*.

Aliter judicandum est de VIII. 10, 11: *τὰς γὰρ τῶν Χίων ἑπτὰ ναῦς ἐν τῷ ἀριθμῷ μετὰ σφῶν ἔχοντες οὐ πιστὰς ἐνόμιζον;* hoc enim loco more Jonico reflexivum simplex positum est.

Idem dicendum est de V. 71, 16: *τοῖς μὲν Σκιρίταις καὶ Βρασιδείοις ἐσήμηνεν (Ἆγις) ἐπεξαγαγόντας ἀπὸ σφῶν ἐξισῶσαι τοῖς Μαντινεῦσιν.*

2) Omnibus vero locis, ubi pronomen reflexivum participio alicui adjunctum non ad personam participio significatam, sed ad personam subjecti pertinet, simplices formae a Thucydide ponuntur.

Ejusmodi loci primum ii sunt, ubi verbo alicui notionis complendae causa in casu objecti participium adjungitur.

I. 52, 7: *ὁρῶντες προσγεγενημένας τε ναῦς ἐκ τῶν Ἀθηνῶν ἀκραιφνεῖς καὶ σφίσι πολλὰ τὰ ἄπορα ξυμβεβηκότα.*

II. 83, 17: *κατεῖδον τοὺς Ἀθηναίους . . . προσπλέοντας σφίσι.* I. 95, 25; 48, 3. II. 12, 3; 59, 4. IV. 6, 4; 33, 3; 66, 15. V. 28, 7; 63, 3; 65, 6. VI. 88, 13. VII. 4, 23; 18, 9. VIII. 90, 12.

Ejusdem rationis loci sunt, quales sunt I. 54, 5: *οἱ Κερκυραῖοι τά τε ναυάγια καὶ νεκροὺς ἀνείλοντο τὰ κατὰ σφᾶς ἐξενεχθέντα ὑπὸ τοῦ ῥοῦ καὶ ἀνέμου.* — II. 2, 19: *ἐβούλοντο τὴν Πλάταιαν, ἀεὶ σφίσι διάφορον οὖσαν, . . . προκαταλαβεῖν.* II. 56, 14; 61, 14; 98, 5; 130, 16. V. 4, 17; 14, 19; 33, 1; 35, 20; 34, 9; 73, 5. VI. 28, 7; 46, 6; 57, 8; 69, 24. VII. 31, 22; 56, 19.

Referendi denique huc sunt ii loci, ubi participio absoluto subjecti cogitata exprimuntur.

II. 89, 7: *ἔπειτα ᾧ μάλιστα πιστεύοντες προσέρχονται, ὡς προσῆκον σφίσι ἀνδρείοις εἶναι, οὐ δι᾽ ἄλλο τι θαρσοῦσιν.* V. 60, 11 et 25.

IV. 9, 17: *σφίσι δὲ τοῦ τείχους ταύτῃ ἀσθενεστάτου ὄντος ἐπισπάσασθαι αὐτοὺς ἡγεῖτο προθυμήσεσθαι,* ubi conferatur Classenii adnotatio. 123, 8. V. 46, 8.

III. 78, 13. IV. 55, 10; 88, 5. VI. 64, 9; 72, 19. VIII. 76, 22; 53, 15. —

IV. 27, 8: *ὁρῶντες . . . σφῶν ἀνέντων τὴν φυλακὴν περιγενήσεσθαι τοὺς ἄνδρας.*

III. 4, 14. IV. 21, 1. V. 49, 15. VI. 6, 22. VII. 36, 36; 43, 45. VIII. 86, 11.

Mirus est locus, qui est IV. 128, 9: *οἱ γὰρ βάρβαροι καὶ ἐφοβήθησαν, τῆς τροπῆς αὐτοῖς ἐνταῦθα γενομένης σφῶν.*

Interpretes omnes, quantum scio, *αὐτοῖς* et *σφῶν* ad eandem personam pertinere dicunt, ita tamen, ut genitivus indicet, qui fugerint, dativus autem, quorum interfuerit, eos non fugere (cf. Stahlium in Popponis ed. min). Hanc autem constructionem admitti non posse ideoque *αὐτοῖς* delendum esse, Hermannus Sauppe recte me admonuit.

Recte denique Poppo (ed. min. I. 20) adnotat: „*σφίσιν*". Ita hoc pronomen in enuntiatis secundariis ad subjecta potiorum enuntiationum non solum ibi refertur, ubi illorum hominum cogitata commemorantur et Latini quoque „sui" dicunt, sed etiam alibi, ut apud indicativos et participia in hos resolvenda".

Thuc. hoc modo dativo *σφίσιν* in participii absoluti structura utitur, non autem aliis formis neque in alia participii structura.

I. 67, 1: *πολιορκουμένης δὲ τῆς Ποτιδαίας οὐχ ἡσύχαζον, ἀνδρῶν τε σφίσιν ἐνόντων καὶ ἅμα περὶ τῷ χωρίῳ δεδιότες.*

II. 81, 35. III. 24, 17; 81, 23. IV. 96, 4. V. 14, 13; 30, 11. VI. 103, 4. VII. 43, 40; 70, 12. VIII. 21, 7; 79, 23.

3) Quae hucusque exposui, ad pronomina reflexiva in plurali posita pertinent. Reflexivi autem pronominis in singulari positi simplicibus formis raro Thucydides utitur atque uno tantum loco dativus *οἱ* cum participio conjunctus invenitur. VI. 59, 7: *εἴ ποθεν ἀσφάλειάν τινα ὁρῴη μεταβολῆς γενομένης ὑπάρχουσάν οἱ.*

Quodsi reflexivum pronomen singularis numeri apud participium necessario ponendum est, Thuc. compositis formis utitur. Exempla si postulas, conferas I. 90, 17: *ἑαυτὸν δ'*

ἐκέλευεν ἀποστέλλειν . . . ὁ Θεμιστοκλῆς . . ., ἄλλους δὲ πρὸς ἑαυτῷ ἑλομένους πρέσβεις μὴ εὐθὺς πέμπειν.

133, 8; 137, 29. II. 25, 12; 77, 4; 87, 10. V. 40, 15. VIII. 50, 3; 85, 30.

In hac autem re propter formarum similitudinem facillime errare potuerunt scribae et re vera erraverunt, formas quae sunt *αὐτοῦ* ctt. pro *αὑτοῦ* sive *ἑαυτοῦ* ctt. ponentes. Atque *ἑαυτοῦ* s. *αὑτοῦ* ctt. pro *αὐτοῦ* ctt. scribi necessarium est, quoties articuli collocatione has formas possessivi pronominis vice fungi indicatur.

Cf. II. 79, 33: *οἱ δὲ Χαλκιδῆς καὶ οἱ Βοττιαῖοι τροπαῖόν τε ἔστησαν καὶ τοὺς νεκροὺς τοὺς αὑτῶν ἀνελόμενοι διελύθησαν κατὰ πόλεις.* I. 141, 16. III. 65, 13. IV. 77, 9. VI. 50, 3; 78, 16. VII. 8, 12; 67, 15. VIII. 85, 10.

Sed etiam in aliis locis, ubi sensus postulabat, homines docti formas quae sunt *ἑαυτοῦ* s. *αὑτοῦ* ctt. pro *αὐτοῦ* ctt. jam restituerunt.

I. 69, 27: *ἐπιστάμενοι καὶ τὸν βάρβαρον αὐτὸν περὶ αὑτῷ τὰ πλείω σφαλέντα.* 100, 11; 104, 6. II. 27, 5; 77, 4; 87, 10. IV. 42, 21. VI. 100, 5. VIII. 55, 15; 85, 8.

Atque ego quidem etiam in his, qui sequuntur, locis reflexivam formam restituendam esse censeo:

I. 73, 26: *νικηθεὶς γὰρ ταῖς ναυσὶν ὡς οὐκέτι αὑτῷ* (pro *αὐτῷ*) *ὁμοίας οὔσης τῆς δυνάμεως κατὰ τάχος . . . ἀνεχώρησε.*

IV. 114, 13: *ἔλεξε . . . ὅτι οὐ δίκαιον εἴη οὔτε τοὺς πράξαντας πρὸς αὑτὸν τὴν λῆψιν τῆς πόλεως χείρους ἡγεῖσθαι.*

VI. 29, 6: *καὶ ἐπεμαρτύρετο μὴ ἀπόντος πέρι αὑτοῦ διαβολὰς ἀποδέχεσθαι.*

VII. 47, 14: *ὅτι ἐπ' ὀλιγαρχίᾳ βούλεται καὶ οὐ πονηρίᾳ οὐδὲ δημοκρατίᾳ τῇ αὑτὸν ἐκβαλούσῃ κατελθὼν . . . ξυμπολιτεύειν*, ubi jam Bekkerus scripsit *ἑαυτόν*; *αὑτόν* autem praeferendum est propter Vaticani lectionem *αὐτόν*.

§ 29.

De participiis anacoluthice positis.

Tria omnino in participiorum usu Thucydideo anacolu-

thiae genera statui posse videntur, quorum primo fit, ut nominativi participii per se stare videantur. Haec anacoluthia tribus modis existit:

1) Subjectum participii partem continet notionis subjecto verbi finiti expressae.

II. 4, 9: *ἔφυγον διὰ τῆς πόλεως, ἄπειροι μὲν ὄντες οἱ πλείους . . .*

I. 21, 6; 119, 4. II. 16, 2; 54, 4; 96, 10. IV. 6, 3; 52, 3; 73, 18. VI. 1, 3; 40, 5. VII. 78, 12.

Ita saepe in modum partitivae quam dicunt appositionis subjecto verbi finiti singulae partes adjiciuntur, quae suum sibi participium adjungunt.

II. 21, 16: *ἐν πολλῇ ἔριδι ἦσαν, οἱ μὲν κελεύοντες ἐξιέναι, οἱ δέ τινες οὐκ ἐῶντες.* IV. 35, 14; 117, 1. V. 96, 2. VII. 17, 1; 22, 15. VIII. 2, 2; 76, 1.

2) Subjectum participii easdem personas complectitur quas subjectum verbi finiti.

I. 49, 2: *ἐναυμάχουν, πολλοὺς μὲν ὁπλίτας ἔχοντες ἀμφότεροι.* — II. 16, 11. III. 102, 5. IV. 56, 3; 69, 9. V. 3, 22. VI. 32, 7; 44, 9; 62, 2. VII. 38, 2; 77, 25.

3) Subjectum verbi finiti partem complectitur notionis subjecto participii expressae.

III. 91, 10: *ὑπὸ νύκτα δὲ σχόντες* (sc. *Ἀθηναῖοι*) *εὐθὺς ἐπορεύοντο οἱ ὁπλῖται.*

I. 100, 11. III. 10, 16; 53, 17; 112, 30. IV. 68, 3; 88, 3; 108, 31; 108, 19; 127, 10. V. 10, 47; 81, 5. VI. 47, 7.

Pertinet huc etiam mira ea enuntiatorum structura, qua Thuc. haud raro in eadem complexione subjecta tum coarctando tum amplificando variat.

I. 18, 20: *κοινῇ τε ἀπωσάμενοι* (intelligendi sunt Lacedaemonii et Athenienses eorumque socii) *τὸν βάρβαρον ὕστερον οὐ πολλῷ διεκρίθησαν πρός τε Ἀθηναίους καὶ Λακεδαιμονίους, οἵ τε ἀποστάντες βασιλέως Ἕλληνες καὶ οἱ ξυμπολεμήσαντες.* IV. 110, 8: *οἱ δὲ πράσσοντες αὐτῷ εἰδότες ὅτι ἥξοι καὶ προελθόντες τινὲς αὐτῶν λάθρᾳ ὀλίγοι ἐτήρουν τὴν πρόσοδον.*

Cf. I. 39, 10—16: 61, 8; 124, 7. III. 11, 19; 23, 7 et Classenii adnotationes ejusque praefationem pag. LXXXIII.

VIII. 80, 10: *καὶ αἱ μὲν τῶν Πελοποννησίων αὗται νῆες ἀπάρασαι ἐς τὸ πέλαγος, ὅπως λάθοιεν . . ., χειμασθεῖσαι,* [*καὶ*] — recte Cl. hanc particulam delet — *αἱ μὲν Δῆλον λαβόμεναι αἱ πλείους μετὰ Κλεάρχου καὶ ὕστερον πάλιν ἐλθοῦσαι ἐς Μίλητον (Κλέαρχος δὲ . . . ἦρχεν) αἱ δὲ μετὰ Ἑλίξου . . . δέκα ἐς τὸν Ἑλλήσποντον διασωθεῖσαι Βυζάντιον ἀφιστᾶσι.* Locus, prout jacet, procul dubio corruptus est. Quid Thuc. scripserit, non potest certo discerni. Magis tamen placet Stahlii conjectura post verba *ἐς Μίλητον* vocabula *ἐνταῦθα ἔμειναν* interponentis quam Classenii opinio, qui locum facillime sanari dicit, si omissa particula *καί* ante *ὕστερον* scribamus *πάλιν ἦλθον ἐς Μίλητον,* quia scriba facilius duo vocabula omisit quam *ἦλθον* in *ἐλθοῦσαι* mutavit.

Plane denique anacoluthice dicti sunt loci III. 34, 12: *ὁ δὲ προκαλεσάμενος ἐς λόγους Ἱππίαν . . ., ὥστε πάλιν αὐτὸν καταστήσειν ἐς τὸ τεῖχος σῶν καὶ ὑγιᾶ, ὁ μὲν ἐξῆλθε παρ' αὐτόν, ὁ δὲ ἐκεῖνον μὲν ἐν φυλακῇ ἀδέσμῳ εἶχεν, αὐτὸς δὲ . . .*

IV, 80, 16: *καὶ προκρίναντες ἐς δισχιλίους οἱ μὲν ἐστεφανώσαντό τε καὶ τὰ ἱερὰ περιῆλθον ὡς ἠλευθερωμένοι, οἱ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον ἠφάνισάν τε αὐτούς . . .* —

Secundo anacoluthiae genere fit, ut participia non habere videantur quo referantur, quum a substantivis vel pronominibus, ad quae sensu pertinent, casu differant. Hoc autem anacoluthiae genus constructione quam dicunt ad sensum ita oritur, ut scriptoris menti non grammatica quam posuit forma, sed alia ejusdem sensus structura obversetur atque huic participia conformentur. Itaque

I. Nominativus legitur

a) pro genitivo:

IV. 23, 10: *τὰ περὶ Πύλον ὑπ' ἀμφοτέρων κατὰ κράτος ἐπολεμεῖτο, Ἀθηναῖοι μὲν . . . περιπλέοντες . . . Πελοποννήσιοι δὲ στρατοπεδευόμενοι.* Ita Thuc. scripsit, quasi praecederet: *ἀμφότεροι ἐπολέμουν.* —

IV. 52, 10: *ἦν αὐτῶν διάνοια τάς τε ἄλλας πόλεις ἐλευ-*

θεροῦν, καὶ πάντων μάλιστα τὴν Ἄντανδρον καὶ κρατυνάμενοι αὐτὴν . . . ῥᾳδίως ἀπ' αὐτῆς ὁρμώμενοι . . . κακώσειν; obversabatur scriptoris menti *διενοοῦντο*.

V. 70, 1: *ἡ ξύνοδος ἦν, Ἀργεῖοι μὲν ἐντόνως χωροῦντες, Λακεδαιμόνιοι δὲ βραδέως* (*ἡ ξύνοδος ἦν* = *ξυνῆσαν*).

I. 10, 1: *οὕτω μὲν τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα ἐφθάρη, ἓξ ἔτη πολεμήσαντα*, ubi *πολεμησάντων* exspectamus; sed participium ad *τὰ πράγματα*, refertur, quia haec verba circumlocutio esse videntur pro *οἱ Ἕλληνες*.

b) pro dativo:

IV. 108, 19: *ἄδεια ἐφαίνετο αὐτοῖς, ἐψευσμένοις μὲν τῆς δυνάμεως, τὸ δὲ πλέον κρίνοντες* . . . VI. 24, 8. II. 70, 40.

III. 36, 5: *περὶ δὲ τῶν ἀνδρῶν γνώμας ἐποιοῦντο καὶ ὑπὸ ὀργῆς ἔδοξεν αὐτοῖς* . . . *ἀποκτεῖναι* . . . *ἐπικαλοῦντες* . . . Obversabatur scriptoris menti nominativus, a quo in verbo *ἐποιοῦντο* inceperat, atque *ἔδοξεν αὐτοῖς* sensu idem est atque *ἐψηφίσαντο*.

IV. 40, 2: *παρὰ γνώμην τε τοῦτο τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο* (*τοὺς γὰρ Λακεδαιμονίους . . . ἠξίουν τὰ ὅπλα παραδοῦναι* . . .) *ἀπιστοῦντές τε μὴ εἶναι ὁμοίους*. Anacoluthon, quod in hoc loco, prout in codicibus exstat, inest, quum nimis durum sit, Madvigius apte *ἠπίστουν τε* legendum esse conjecit.

c) pro accusativo:

II. 53, 13: *θεῶν δὲ φόβος . . . οὐδεὶς ἀπεῖργε . . . τὸ μὲν κρίνοντες* . . . quasi praecedat *ἀπείργοντο*.

II. Dativus pro genitivo legitur:

I. 62, 8: *ἦν γνώμη τοῦ Ἀρίστεως, τὸ στρατόπεδον ἔχοντι . . . ἐπιτηρεῖν τοὺς Ἀθηναίους* (*ἦν γνώμη* = *ἔδοξεν*).

III. Accusativus pro dativo legitur:

V. 79, 3: *ἔδοξε τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀργείοις σπονδὰς εἶμεν . . . δίκας διδόντας*. — I. 72, 5: *ἔδοξεν αὐτοῖς παριτητέα ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους εἶναι, τῶν μὲν ἐγκλημάτων πέρι μηδὲν ἀπολογησομένους*.

IV. 37, 5: *οἷς ἐπίσταμαι οὔθ' ἵππους ἀκολουθήσοντας . . . οὔθ' ὁπλίτας ἰσοπληθεῖς τοῖς ἡμετέροις, ἐπὶ νεῶν γε ἐλθόντας*. Class. partic. *ἐλθόντας* ad pron. relat. *οἷς* referen-

dum esse censet, rectius autem Stahlius ad substantivum *ὁπλίτας*, quae explicatio et sensum satis aptum praebet et facilior est quam Classenii, qui anacoluthiam statuere cogitur.

Tertium anacoluthiae genus confusione duarum constructionum oritur.

Referendi huc sunt loci qui sunt I. 2, 18: *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί.*

IV. 63, 2: *διὰ τὸ ἤδη φοβεροὺς παρόντας Ἀθηναίους* — V. 7, 7: *οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι.* — VI. 1, 10: *καὶ τοσαύτη οὖσα ἐν εἴκοσι σταδίων μάλιστα μέτρῳ τῆς θαλάσσης διείργεται τὸ μὴ ἤπειρος οὖσα.* — VIII. 105, 9: *πρὶν οἱ Πελοποννήσιοι διὰ τὸ κρατήσαντες ἀδεῶς ἄλλοι ἄλλην ναῦς διώκοντες ἤρξαντο μέρει τινὶ σφῶν ἀτακτότεροι γενέσθαι* (ubi deteriores tantum codices *διώκειν* praebent).

Facilius illud quidem est, corruptelam statuere; sed hoc modo nodus dissecatur magis quam solvitur. Equidem vix adducor, ut credam, omnes hos locos a scribis misero quodam casu esse eodem modo corruptos, immo rectam difficultatis hujus solvendae viam jam scholiastes mihi videtur demonstrasse, quum ad participium *οὖσαν* I. 2, 18 adnotavit: *ἀντὶ τοῦ εἶναι*, quem secutus est Poppo, proll. pag. 150. Accurate de hoc loco Hauptius (opusc. 3 pag. 403) haec scribit: „Conjungunt *ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον*, quo confingunt dicendi rationem neque exemplis probatam neque per se probabilem, quam volunt significare ab antiquissimis inde temporibus. Id cum jubemur pariter referre ad *ἀστασίαστον οὖσαν* atque ad *οἱ αὐτοὶ ἀεὶ ᾤκουν*, facere jubemur, quod fieri nequit. Simplicius et rectius judicavit scholiastes, quum ad *οὖσαν* adscripsit *ἀντὶ τοῦ εἶναι*. Nimirum duas Thuc. orationis formas confudit, alteram hanc, *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν*, alteram hanc, *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον εἶναι* . . . Eodem autem modo Thuc. particium et infinitivum confudit V. 7, 7 et IV. 63, 2."

Idem judicandum est de reliquis, quos attuli, locis.

Eaudem difficultatis hujus solvendae rationem secuti sunt Poppo l. c., Sauppius (acta soc. graecae vol. 2, pag. 420), Vahlenius (Zeitschr. für österreich. Gymn. 1872, pag. 523).

Recte sane Hauptio l. c. „haec orationis species concessam Graeco sermoni libertatem excedere videtur"; sed meminisse debemus, Thucydidem „luctari quasi cum sermone multaque committere, quae excusari possint, laudari autem et tanquam perfectae artis exempla commendari neutiquam debeant."

Errata:

pag. 3, l. 11: scripsit pro ccripsit.
„ 9, l. 3: *αἴτιον* pro *αὶτιον*.
„ „ „ 9: accipiat pro accipirt.
„ 10, l. 18: *θαρσοῦν* pro *θαρσσῦν*.
31: *παρατυχών* pro *παρτυχών*.
32: *τοὺς* pro *τοὸς*.
„ 11, l. 7: *εὐτυχοῦντα* pro *εὐτυχοῦττα*.
„ 15, l. 10: *ἦν* pro *ἠν*.
„ 16, l. 5: *λανθάνειν* pro *λανθάννειν*.
„ 12: *λανθάνειν* pro *λαυθάνειν*.
„ 17, l. 15: *ἐξειργασμένοι* pro *ἐξειγρασμένοι*.
„ 20, l. 31: pendet pro peudet.
„ 29, l. 29: *ἀποικούντων* pro *ἀποικοῦντων*.
„ 32, l. 16: *προσγένοιτο* pro *προςγένοιτο*.

Vita.

Johannes Balkenholl natus sum a. d. XIII. Cal. Jun. 1854 in vico Everode ad oppidum Alfeld in Hannovera sito patre Johanne, matre Wilhelmina de gente Oppermann, quos superstites adhuc atque incolumes esse summopere laetor. Inde ab anno 1866 usque ad 1873 Hildesiae gymnasium Josephinum frequentavi. Maturitatis testimonio instructus Monasterium me contuli, ubi per biennium philosophiae et theologiae operam dedi. Ad persolvenda deinde studia theologica Dilingam, in oppidum Bavariae, profectus ibique biennio elapso presbyteratus ordine initiatus sum. Insequenti anno quum in foro Thannhausen dioecesis Augustanae sacellani munere functus essem, a Rñdo Dño Wilhelmo, episcopo Hildesiensi, Gottingam missus sum, ut studiis philologicis vacarem. Unum semestre ibi versatus Monachium me contuli scholasque frequentavi proff. illustr. Bernays, Bursian, Christ, Julius. Deinde auctumno anni 1879 Gottingam redii atque in Georgia Augusta scholis interfui professorum clarissimorum, qui sunt Baumann, Bruns, Dilthey, Lotze, W. Müller, Sauppe, Volquardsen, Wagner, quibus omnibus gratias ago quas debeo maximas.

Texas 7/19/34